


FAMILIAE
NOBILISSIMÆ
DE MORRA
HISTORIA

A MARCO ANTONIO DE MORRA
REGIO CONSILIARIO
CONSCRIPTA.

IN QVA OMNIVM GRADVVM, ET TITVLORVM
Dignitates, ac præclara Virorum Illustrum gesta exactè recensentur.



NEAPOLI, Ex Typographia Io. Dominici Roncalioli 1629.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ
D. LVCRETIÆ
DE MORRA
MARCHIONISSÆ
MONTIS ROCCHETTÆ
PATRONÆ COLENDISSIMÆ.



M superioribus annis (Illustrissima Domina) Marcus Antonius Regius Consiliarius germanus tuus, fama conspicuus, moribus præclarus, & (vt vno tantū verbo multa complectar) vir numeris omnibus absolutus, qui inter cæteros Familix de Morra proceres, licet non primus, nulli tamen fuerit secundus, præclarissimorum virorum, tot iam contextam seculis secundissimam seriem, & immarcescibilem partæ gloriæ nusquam perituram famam temporum iniuriæ seruari iocolumem, tantiq; viri scripta immortalitati commendata nequaquam passa, vt illorum aboleret memoriam; probatissimæ, laudatissimæq; eius vitæ filum inuido Inuidiæ dentæ dirupit; Verum nihil obtinet, nihilque proficit inimica mors, speque sua frustrata est. Tot enim Illustrium procerum fama superstes, & tantæ familix velut secundissimæ Arboris tam præclara facinora, & innumera meritaram laudum insignia, tot celeberrimorum gestorum generibus insignitæ; tantisq. virtutibus decoratæ, quonam pacto deleri poterant, & extingui? Expandit quippe arbor ista perennes ramos suos, tum armorum peritia, tum etiam scientiarum dignitate florentes, & nullas temporum iniurias pertinentes. Inter quos Victor Monasterij Montis Cassini

ni prius Abbas, deinde inter Summos Pontifices Tertius, & Gregorius Octavus virtute, ac sanctitate celeberrimi, Religione, ac pietate in Deum, & homines vniverso terrarum orbi Clarissimi, qua si duo olivæ præcipuè florere; quin potius quasi gemina cæli micantia sydera promicantes, luce maxima præfulsere, Illustrissimumq; hoc Morrarum cælum lucis suæ radijs mirabiliter illustrarunt. A quibus tot Amplissimi S. R. F. Cardinales ipsis haud dissimiles prodire, qui virtutum omnium cumulo corruscantes ex hoc clarissimo fecundissimoq; Morræ stypite tanquam ex Equo Troiano promanarunt. Verum post tot annorum elapsa spatia, Illustrissimi fratris tui scripta in lucem modo produnt, quæ ego tanti viri præsidio munitus innumerisq; ab eo gratijs, ac beneficijs exornatus æque, ac funibus deuinctus, ac reibus irretitus (dum adhuc in terris dies agebat suos) sub tuo nomine, & te auspice excudenda, & prælo commendanda iure optimo opere prætium duxi. Decebat enim tantæ sororis prudentia, sagacitate, magnanimitate, ac pietate præclaræ, cunctisq; virtutibus refertæ; clypeo præmunita omnium oculis nota fieri; quam per omnium ora merito laudatissimam (cum nil sit, quod in te possit desiderari) neminem pigeat celebrare; quamq; non vt te ipsam nouo gradus genere insignires, sed vt posteros (nouissime à te in familiam adiuncto Marchionatus Titulo) condecorares. Cæterum dum tua me munificentia alacriorem reddit immensam animi mei audaciam ne spernas, neq; me temeritatis vitio culpes, exoro, quin potius lata fronte, ac benigno aspectu, (quæ tua est humanitas) munusculum hoc quodcunq; sit, licet pro meritis impar, prægrandi tamen voluntate erga fratrem, & Illustrissimam Dominationem tuam oblatum suscipere ne dedigneris Vale, Iterumq; vale. Neap. Die 23. Maij 1629.

Tibi addictissimus seruus

Io. Dominicus Roncaliolus.

FAMILIAE DE MORRA

Fragmenta, ex varijs locis excerpta, quorumdam gestorum
relatio, quæ ad seriem ascendendum contexendam,
illorumq; notionem habendam conferre censui,
eiusdem familiæ posteritati D.



*Boletas, temporis iniuria, nostratumq; desidia (per
tot fere secula) familiæ memorias, redituas: per-
uetusta maiorum monumenta, pulvere ab eis (cæ-
no quinimo excusso) quo per annos quingentum, et
ultra obruta delituere, ob oculos ponere, ijs modicis
horarum intervallijs, quæ nostro muneri laborique de more indul-
gentur; studio peregi; Non ut in Orbis theatro eos iterum ouantes
reducerem; vel eorum, me gloriæ decorum redderem, aut exactor ẽ:
Illis namque sat arbitratus, eam partam gloriam, quæ pro reli-
gione, pro fide, pro Patria, pro communi bono, pro suorum Regum
obsequio, famulatu, defensione (fortunarum, et sanguinis profu-
sione) compararunt; plurimorum ipsorum Regum rescriptis, fi-
deque testatam: Me etenim tantum abesse reor ex eorum radijs co-
ruscari, ut non æque, ipsorum probis inertia iunctum, eo apud om-
nes magis exprobandum, contemnendumque existimem, quo plus
illis sanguine, vinculum contenderim; Vendicant iure quidem suo
maiores nostri, nos eorum ita factis respondere, ut merito de ipso-
rum slegmate ortos iudicemur, & gloriemur: sed illa, veluti spe-
cula, viventibus posterique, virtutis, & gloriæ, ac radiantia
promptuaria, intuenda, specularandaq; constitui; ut illorum vesti-
gijs, non segniter calcaturis, insitam mortalium cordibus æmula-
tionem, præcellendiq; sitim, ignitis spirantium ipsorum iaculis, ex-
citarem incenderem. Eos autem tantum alloquutus sentio: intra-
que nostræ domus parietes, gesta maiorum iacturas, familiæq; pri-
uatas pressiones, familiariter recensendo, quæ illis ad rei notionem
de qua agimus conferre censui; ceteris post habitis, nil ad alios,
nec publice expositurus, ita, Domus arcana vulgari, ostentationis,
vel iactantiæ notam, pro voto declinans? Acceptum fore existimo
laborem, votumq; magis, quo fragmenta ista, rudi calamo, vobis,
& impulsit a lingua traduntur? Sat agite quæso maioribus vestris*

A

ita

2
ita respondere, ut non appellatione magis, quam animorum virtute, natales ex illis habeamini referentes. Non etenim hæc vobis exposui, ut inanis gloriæ ex prædecessorum splendore tumidos redderem; sed ut illorum metas virtutum, præclaraque facinora (veluti opus ab eis in vos omnes, sanguine, naturaque transfusum) pertingere, transcendere summo conamine decertetis: Utque lapsa ex primis illis viris (urgente rota, ac recentiorum progenitorum torpore) labe factaque domus, vestrum opera, enixis ad id incumbendo viribus, suæ integritati, ac nitore quandoque restituatur.



*V*plicem eius originem curiosi Historiarum Scriptores constituere; Altera à Gothis deducta est; cum anno à Christo nato 500. gens fera, nouarumq; rerum emulatrix à Septentrionalibus oris profecta, nihil sibi antiquius proposuit, quam ut desertis, rigore niuium asperis, rerum caritate noxijs regionibus, saluberrimam cælo, claram fertilitate agrorum, Italiã occupare; Quod quidem sententia successit, totaq; hæc Regio eorum Imperio nutuiq; subiecta est, haud multo post, anno scilicet 540. Ducem Gothum suppresso nomine Morram Acheruntia Præfectum cõmemorat Pandulphus Colleenucius Iuris Consultus ex Pisauro diligēs Italicarũ hucusq; Regni præsertim memoriarum collector, & obseruator, cui adscribitur Io. Baptista Carrasa grauis Historicus, & Io. Franciscus de Rubeis, vir sanguine clarus, bonarum artium studio sua tempestate celebris, et multarũ nobilium familiarum, rerumq; memorabiliũ apprimè studiosus, & fidelis relator in suo 12. Historiarum Italicarum libro fol. 817. meminerat eiusdem Ducis ante eos Procopius lib. 8. Qui belli Gothici scriptor purissimus, eius ætatis diligens obseruator, gestorũq; oculatissimus testis fuerat, quippe, qui Belisario adfuit, exercituiq; præfuit. Hic quidem, eiusdem Ducis Morra meminit, cui ex antiquissima familie traditione Franzonis nomen ascribitur, licet in aliquibus ipsius Procopij Codicibus ex Græco in Romanum. inde Italicum idioma uersis, & Venetijs excussis anno 1544. Hoc nomen Morra addita litera x quodammodo corruptum videatur, quod idem habetur, & post Procopium ex Blond. Histor. ab inclinat. Rom. Decad. tertia lib. 7.

Altera de eiusdem origine sententia à Normannis eam fontibus deriuasse ita arbitrati enim plerique sunt; Cum primum ea gens Vrbes, agrosq; populatur à se in Italiam effudit duos germanos fratres, quorum uni Ioannes, alteri Iaches nomen inditum in ea expeditione aduectos, quod suã ditioni duo oppida subicerint, ex ijsdem cognomina quoq; sortitos, etenim in Lucanis Ioannes ex Sancti Seuerini oppido, Ioannes de Sancto Seueriuo captus est nuncupari, à quo ueluti à fonte ad ceteros gentilitium nomen

ema-

emanavit: In Irpinis ex oppido Morra Iaches de Morra dictus, nostræ familiæ cognomen ad posteros huc usq; traduxit, eratq; tum hoc peculiare Primarij viris nobilitatis Argumentum, ut ex oppidis quæ suæ ditioni subigebant cognomen haurient. Adscitas deinde oriundas è Normannis duobus ijs fratribus inter Neapolitanas ambas hæc familias, non levis auctoritatis Scriptor Joannes Baptista Carrasa edidit, tum Marius Galeota, curiosarum rerum indagator, ita confirmavit, ut iure iurando intercedente dixerit in actis; quæ anno 1561. Inter Hieronimum de Morra, & sedile Capuanæ intercesserant plenissime fol. 34. ea omnia sibi constare quæ de Origine ac stirpe cum Sansseuerinorum familia commune diximus, idq; se ex antiquioribus magnæ auctoritatis Auctoribus accepisse, quorum scripta temporis iniuria fere aboleuerat.

Verum item Auctor de Rubeis cuius supra meminimus eodem loco dum de Roberti Regis munificentia, & liberalitate in hanc eandem familiam mentionem faceret, hæc subdidit; Tã studiosum se ostendit Robertus, Morrensis familiæ, quæ eadem fuit cum Sancta Seuerina; Nam, ut Ferdinandus Sansseuerinus ultimus Salerni Princeps dicebat, cum Normannis duo fratres venerunt ad acquirendas has Italiæ Prouincias, ubi Regnum postea Neapolitanum fuit constitutum, quorum primus Ioannes, secundus Iaches siue Iacobus; Primus à Sancto Seuerino oppido dominato, Ioannes de Sancto Seuerino dicebatur: Alter obtento Morra oppido de Morra dictus est, hæc ille; qui dum alibi de ipsa Sansseuerinorum Familia loquitur asserit, postquam bona Salernitanorum Principis Fisco addicta sunt, in eius Archiuo diligenter se omnia scripta perlustrasse, quæ in eo asseruabantur, tum præcipue Historiarum, siue Annalium ipsius Familiæ volumen in quo eadem utriusque Familiæ ab ijs fratribus origo referebatur, quod antea ab eo Principe de ea re differente acceperat. Hæc autem eius sunt verb. fol. 889. Sansseuerina Serenissima prosapia creditæ est, quibusdam Italica origine, sed ij errare noscuntur multis rerum monumentis, & præsertim quibusdam historijs, quæ religiose seruata fuerunt apud Ferdinandum Sansseuerinum Salerni Principem, ante nouissimas eius domus ruinas. Quibus Annalibus tra-

deba-

debat^sur cum Normannis Principibus in Regnum Neapolitanum duos fratres venisse, quorum alter Laches, seu Iacobus, alter Ioannes dicebatur, ex Iacobo, quia Morra oppido in Irpini potitus est, Nobilissima Domus de Morra fuit progressa, ex Ioanne autem Sancti Seuerini prope Salernum Dominio nacti Comites Marsicenses nati sunt. hac ille:

Hec eadem ex antiquis huius familiae monumentis, et maiorum traditionibus etiam scriptis demandatis centum ab hinc annis, et ultra, sic eis ab antiquioribus generis traditum testantibus accepimus, Morra stemma ex Iaches, siue Iacobo tanquam ex radice fecundum, veluti, germen erupisse.

Que vero Scipio Mazzella in suis non magnae fidei scriptis somniauit, dum ex Bossina Ilirici Prouincia, quae Misia dicebatur, Familiam hanc huc aduectam contendit, tanquam nulla auctoritate, aut verisimili coniectura fulcita, prorsus explodenda ducimus.

Cum verò Gothi per annos 147. ab anno 406. usq, ad annum 557. pluribus inuasionibus, maximisq, copijs non modo in Regnum Neapolitanum, sed in Italiam uniuersam, atq, in ipsam Urbem Romam irrepuerint, omnesq, has Regiones occuparint. Normannorum autem aduentum, annus fere millesimus, celebret, et Dux Gothus Morra circa annos 550. extiterit, idemq, de Sanseuerina Familia exploratum Historiarum monumenta reddiderint; Dicendum sane, cum Gothis introductam potius quam cum Normannis, quod temporum supputationes, et Scriptorum auctoritates supra relatae, apertissime probant, et qui eos Normannos dixerunt, facile ex eo decipi potuerunt, quod Gothi, et Normanni, ut ex historijs liquet, ex uno eodemq, fonte manarunt.

Vi vero ad rem propius accedamus ex Neubrigensi, Platina, Panuino, Cronica Cassinensi, Ciacconio, Arnaldo Vvione in Ligno vite, atq, alijs colligimus, Gregorium VIII. Pontificem, cui nomen antea Albertus de Morra, Sertorij filium, ex claro fuisse genere Beneuenti oriundum, Cumq, ad summum Pontificatus fastigium euectus fuerit anno 1187. et Normanni vix anno 1100. sedes in Regno constituerint, quo non antequam

B

mille-

6
millesimo transacto aduenerant. Si Sertorius Alberti pater nobilis, & clarus erat pridem Beneuenti, ante annum 1100. floruisse credendum est; Quo enim pacto tam celeriter, familia huc nuper aduecta, eam potuisset nobilitatis gloriam consequi, qua (ab ijs memoratur) tunc familiam claruisse, & quam rebus, quae de ijs celebrantur, congruere posse existimemus; Praeterea cum Normannorum numerum qui primo in hoc se Regno contulere, paucorum fuisse omnes tradant, ac praecipue Erempertus, Carolus Sigonius, & Ammiratus vix duodecim fuisse scribant, tum in secunda expeditione à Salerni Principe excitata, ad trecentos peruenisse testetur, tam exiguam militum manū haud verisimile est tot in suam potestatem oppida traduxisse, nisi uniuersi totos se ad armorum studia contulissent, quibus impliciti, quomodo potuit, de promouendo ad Apostolicum culmē Albertum, per pacis, ac Sacerdotij studia, cogitare; qui armis, belloq; populos debellare, suorumq; Principum dominio, cuncta subijcere, enixe contendebant.

Denique cum numeretur in hac familia Robertus sub Apulia Ducibus ante Reges, atq; huiusmodi Normannorum etate pacificum dominium oppidorū Morrae, & Casilioni obtinuisse tradatur, & Dominus Rogerius de Morra nominetur anno 1160. Domini Goffredi filius, à quo plura dona Ecclesiae Sanctae Mariae sunt erogata, ut infra de utroq; dicemus; ante Normannos Familiam extitisse, eo supremo honore decoratam, (non enim nisi magnatibus, Domini, appellatio tribuebatur) necessario affirmabimus, Haec adnotasse volui, ut non quid certi in hac ancipiti quaestione decernerem, sed ut alios discipulando excitarem, qui tum ex antiquitatis tenebris, ac vicissitudinum inuolucris, tum ex deperditarum scripturarum iactura, qua omni nos ambiguitate liberare valerēt, maiori studio, exactiori labore, & diligentia, reuolutis Historicorum monumentis, rem ipsam quodammodo delitescentem, in veritatis lucem efferre studeant.



*V*nt buius familie insignia duo enses nudi in area rubea, & quatuor aurea calcaria sicuti, & enses aureis ornantur manubrijs, & capulis, atq; ita inter se connectuntur, ut vigesimum alphabeti characterem referant scilicet X. in quorum angulis, sunt ipsa calcaria, equali inter se spatio collocata; Quorum initium, ita ex antiqua familie traditione refertur, Jaches, & Joannes ex singulari certamine cum totidem hostibus habito, victoriam reportarunt, Jaches casi hostis enssem abreptum cum suo sub brachio complicatum, victoriae insigne retulit, quam obrem fere ovans à Principe acceptus, in egregij facinoris memoriam, enses duos illos nudos ita complicatos, pro insignibus ab eodem est consequutus, quibus vel ut ipsius Jaches, & casi hostis equestrem dignitatem significaret, vel, ut eiusdem spiritus ferocioribus calcaribus, ad comparandam gloriã stimularet, quasi calcaria virtuti addidit, hæc imperitorum artificum, vulgicq; imperitia, stellæ sæpenumerò censet. Cum vero Ioanni, hostium quoq; spolijs glorioso, sed qui accepto vulnere in sincipite, linteũ sistendo sanguini adhibuisset, ad suos in Castra redeunti obviam idem Princeps factus esset, soluto linteo in quem sanguis effluerat, in eiusdem strenui fortisq; militis gloriam, linteum sanguinea fascia intersectum, perpetuũ ipsius insigne decrevit, atq; ita gens Sanseuerina, iam ex tunc album scutum, rubea fascia interlitum, egregium Familie insigne iactavit.

*Q*uid vero de Familie cristis quas et cimerios vocant certi afferam non habeo, illud vere testor, ab annis hinc quinquaginta annulum aureum decem aureorum ponderis repertum, in quo elegantissime nostra sculpta erant insignia, quibus pro cimerio decorum caput humanum imberbe, et nobili tectum galero cernebatur appositum, erantq; circum characteres aliquot, quorum idioma etiam si plurimum ad id studij adhibitum fuerit, nullo pacto dignosci potuit, Longobardum aliqui existimarunt, plures annos pater meus eo digitum insigniuit, casu demum amissus: retulere mihi quoq; præteritis annis in antiquissima Scala Civitate

tate, nunc pene diruta, templi vestigijs nostra hæc inspicere insignia, quibus inerat Galea, ex qua plures serpentes linguarum vibratu, porrectoq; collo minantes prodibant. Hactenus de origine, atq; insignibus. Nunc ad viros ipsos, quibus nostra familia floruit oratio conuertatur.

De ipsius Familiaz viris verba facturus.



Rimo se mihi offert *Jaches*, siue *Iacobus*, de quo præter ea, quæ supra diximus, & prædictorum testimonijs ex antiquorum authorum relationibus excerpta, quæ historiæ serie, maiorumque ad nos, usque traditione demanarunt, nihil est, quod afferam.

De *Franzone* idem præter ea, quæ à *Pandulpho Collenuccio*, *Carrafa*, *Rubeis*, alijsq; authoribus desumpta retulimus. Post eos se nobis offert.

Gezzelinus de Morra à *Roberto* filio satis Christiana pietate laudatus, ut infra dum de ipso *Roberto* dicemus. Floruit hic circa centesimum supra millesimum, ut constat ex ijs, quæ *Robertus* filius de eo retulit anno 1146. in donatione, quam Ecclesiæ S. *Saluatoris Guglieti* fecit, ut infra.

Ex hoc fonte, atq; capite seriem maiorum suo quemq; ordine per annos quingentos, & ultra ad hæc, usque tempora veluti filo ductum transmittimus, authenticisq; scripturarum monumentis liquida veritate probamus, Antiquiores etenim ex eorum sepulchris excitare, atq; ad nostram reuocare lucem, qui post Gothorum in Italiam descensum, per alios quingentos annos à *Jaches*, et *Franzone* prodire, non mihi sorte datum, licet in eo nulli labori, studioq; pepercerim.

Robertus Gezzelini prædicti filius, fuit Dominus Terræ *Morra*, & *Castilionis*, is namq; sub *Apulie Ducibus*, in feudatariorum cedulario adscriptus legitur, ac pro eorum ditione duorum militum seruitio adactus legitur, qui numerus ad quatuor deinde auctus est, inseritur hoc cedularium, Registro *Caroli Illustris* anno 1322. litera A. fol. 37. seruaturq; in Archiuo Regiæ Sicilæ

Sicilæ, tali enim occasione, ut cum nouum Feudatariorum cedula- rium esset conscribendum, ne aliqua intercederet fraus, ne- cessarium duxerat Carolus, primorum dominorum cedularia conquirere, & feuda in eis descripta diligenter examinari. Iussit itaq; Carolus secundus, ut quidam Commissarius, ex hoc antiquorum Ducum Apuliæ cedulario, nouum, clarius, & so- lertius pro Regia dignitate, & Aerarij commodo institueret, atq; hoc rite compositum, veram, sincerãq; huius scriptionis for- mam contineret. Si ergo Ducum Apuliæ temporibus, in eorum cedulario, Robertum de Morra descriptum habemus, clarissimè patet hunc Robertum ante, vel circa centesimum supra mille- simum annum, eorum oppidorum dominio fuisse potitum, siqui- dem ab anno 1128. ut communior fert opinio, Regium nomen in hoc Regno, non ante Rogerium cognitum est.

Idem Robertus anno 1136. Dux erat exercituum Rogerij, iam in Regium nomen euecti, ut habetur ex Cronica Cassinensi nu- per typis excussa lib. 4. cap. 109. ubi dum de itinere Rainaldi Abbatis Cassinensis electi, ad Imperatorem agit, eumq; cum so- cijs se quadam nocte, prope Guardia Lombardorum Castellum recepisse narret, ita subdit; Sed quia humana fragilitas ad ma- lum magis, quam ad bonum semper extenditur, illius loci homi- nes, suprascriptum electum cum suis fratribus, Giliberto de Bal- bano, et Roberto de Morra, qui exercitui Regis præerant tra- dere conati sunt, hæc ille; & ante eum idem ex cronica eiusdem Cassinensis Canobij à Petro conscripta, qui illis viuebat tempo- ribus refertur, ex qua recentioris Cronicæ authorem sumpsisse, etiam ex eius traditione exploratum habemus, et quæ Petrus re- fert, non ex aliorum relatione, sed tanquam oculatus testis re- fert: Ex his accepimus, Robertum nostrum, Rogerio Regi ita carum, tanteq; apud eum existimationis fuisse, ut suorum illi exercituum curam, et regimen (in quibus suorum utriusq; Si- ciliæ Regnorum, robur, et tutela consistebat) committeret.

Robertus hic anno 1146. nonnulla territoria donat Ecclesiæ Sancti Saluatoris sitæ in Territorio Castri Monticli, et in in- strumento se dicit Dominum Terræ Morræ, habebitur hæc infra, inter alias suo loco ponenda donatio, traducta ex instru-

C

mento

mento in pergameno, quod conseruatur in Archiuio Diuæ Annuntiatæ Neapolis, inter scripturas Sancti Saluatoris Guglieti, & est notatum in Registro fol. 394. num. 46. in prædicto donationis contractu, Patrem memorat Gezelinum, his verbis; Quoniam commodis Ecclesiarum Dei unumquemq, Christianum debere providere Catholicæ didicimus, & Genitorem nostrum, tam Ecclesias, quam et bona earum auxisse deprehendimus; ideo ego Robertus filius Gezellini Morræ Dominus, diuina inspiratus clementia, ut paternorum beneficiorum verus imitator, & quæ infra suo loco: Filios habuit Philippum, Robertum, & Tancredum, quorum in contractu dictæ donationis meminit, qui omnes cum ipso patre, et in eius calce ipsi donationi subscribunt, Robertus autem, etiam filius appellabatur, siquidem, moris erat illis temporibus à magnis viris, secundos filios, proprio nomine decorare, ut eis qui historias callent aptissime liquet.

Ex hoc Philippo natu maiore Rogerium genitum arbitramur, illius Goffridi Patrem, qui in anno 1200. aliam donationem fecit Ecclesiæ Sancti Saluatoris Guglieti, ut infra de eo latius, in qua nominat Goffridus Rogerium Patrem, cumq; se etiam Morræ Dñum dicat, per intermedias personas Philippi, seu alterius ex filiis supra memoratis, ac Rogerij ex eo geniti, cuius ipse Goffridus se filium dicit, antedicto Roberto, in prædictæ Terræ Morræ dominio, successisse dicendum est.

De prædictis vero filiis, aliud hætenus compertum non est; Porro quatuor scripturæ ex Archiuio Diuæ Annuntiatæ Neapolis extractæ, me diu ancipitem tenuerunt in successione (à Roberto, cuius ultima memoria est anno 1146. Ad Goffredum, de quo notionem habemus in anno 1200.) ordinate producenda, una ex eis continet donationem Roberti dicto anno 1146. in qua filios nominat Philippum, Robertum, & Tancredum, & se Morræ Dominum; Altera, donationem continet, per Goffridum factam, anno 1200. in qua Patrem eius dicit Rogerium, & se Morræ Dominum. Habemus in ijs duabus memoriis Rogerij, in una se nominat Domini Goffredi filium, in alia Armaterij Dominum, utraq; eodem anno, & mense
abso.

absoluta, scilicet, anno 1160. mense Octobris. At quod hic Rogerius fuerit pater Goffridi, dubium reddit, quod se non Morra, ut filius, sed Armaterij Dominum appellet, et an ex Roberto descenderit ambigitur ex eo, quod inter filios eum Robertus non enumerat, eiusque nepotem, ex filiorum aliquo, eum dicere, certo fundamento nequimus, sed sit utcumque, vel ex hoc, vel altero Rogerio, patrem habente Loffredum, natum dicemus Goffredum (qui se Morra Dñum dicit anno 1200.) et legitima successio- nis serie ex Roberto descendere, qui in anno 1146. eiusdem terræ dominio potiebatur, sed quomodo intra spatium annorum cir- citer quinquaginta, ista successio à Roberto, ad Goffredum processerit, clarius ex temporum caligine excipere huc usque non valui, unum tamen addam, quod in donatione Goffredi mentio fit, de altera quam Dominum Robertum fecisse, eiusque patrem Rugerium in extremis confirmasse testatur, ubi etiam addit, descendantium et successorum esse, parentum gesta, vota que; comprobare ut ibi.

Circa hæc tempora Loffredum de Morra existisse, scilicet, circa millesimum centesimum annum opus est affirmare, Rogerij (de quo infra) patrem, qui anno 1160. se Loffredi filium dicit, nec de isto Loffredo, aliud ad nos huc usque perlatum.

Rogerius verò de Morra prædicti Loffredi filius, anno 1160. ve- nerabili Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Armaterio supra Atellam constitutæ, quæ hoc tempore Sancta Maria de Perno nuncu- patur, nonnulla bona donat, asseritque; se eam donationem face- re, pro anima sua, et Domini Loffredi eius patris, tum etiam pro animabus Riccardi, et Giliberti eius filij de Balbano, qui sibi erant coniuncti, duo ibi quoque notanda. Primum quod se, patremque Dominos appellat, quod eo tempore non nisi ma- ximis viris apponebatur, deinde, quod Riccardo necessitudinis, vinculo tenebatur, qui tunc magni Regni Comestabuli, digni- tate fulgebat, Melfiam, pluramque; Ciuitates, et Terras in Luca- nia, et Iapigia possidebat, seruatur diploma in Diuæ Mariæ Annuntiatæ Archivio Neapolis, inter cæteras scripturas dictæ Ven. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Perno, quæ olim sub ditione Congregationis Monachorum Beatæ Mariæ de Monte Vir- gine

gine (ut appellant) diu extitit Beato Guglielmo Eremita, eius Congregationis Fundatori, à prædictis de Balbano donata, cuius causa sacrum illud Hospitale multa oppida, & feuda possidet, eritq; infra suo loco ad verbum expressum: Eodem anno, & mense, idem Rogerius manu alterius Tabellionis aliam eidem Ecclesie contulit donationem, nisi forte eandem, alio contractu repetitam dicamus, cum & res donata, & fines concordare in utroq; contractu videantur, in isto secundo se dicit Rogerius Dominus Armaterij, estq; testibus, & eius signo munitus, quæ præcedentis donationis contractui deesse videntur, ut creditur ab eo recisa, quod oculis etiam inspicientium patet.

Rogarium alium hac in sede, atque ordine collocandum habemus Gaufridi patrem, ut infra.

Gaufridus, qui se Dei, & Regis gratia Dominum dicit Terræ Morra, patrem suum appellat Rogarium, plura tenimenta donat Ecclesie Sancti Saluatoris de Guglieto Anno 1200. extat copia extracta ex Archiuo Diuæ Annuntiatæ infra suo loco.

Ex his eodem fere tempore tres Rogarios fuisse dicemus, Rogarius Gaufridi pater, qui anno 1200. Ecclesie Sancti Saluatoris donauit, ut supra, alter, qui aliam, seu alias Ecclesie Sanctæ Mariæ donationes fecerat anno 1160. Alterq; in calce donationis Gaufridi anno 1200. testatus, ut infra, nec mirum si quidem inter filios Roberti, vnus Robertus denominatur ab eodem Roberto patre, ut supra clare diximus.

His met temporibus floruisse comperimus alium Gezelinum de Morra in anno 1185. Candela Dominum qui uxorem habuit Dñam Guisandam, creditur ex familia Baluano tunc in Regno imprimis potenti, & cum qua nostrates magna necessitudine tenebantur, ut ex donatione Rogerij supra relata clare percipitur. Habuit & filios Ricciardum, & Anselerium quos & floruisse in anno 1223. & 1228. habetur ex Archiuo Sacri Cænobij Sanctissimæ Trinitatis prope Cauam, ut de prædictis testatur R. D. Basilius de Neap. Monachus, & Archiuarius, ex quo etiam scripturarum exempla habuimus infra cum alijs reponenda.

Albertus

Albertus de Morra, Sertorij filius, Cardinalis Tituli Sæcti Laurentij in Lucina, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cancellarius, in quo hæc dignitas desijt, cum iam inde non Cancellarij, sed Vice Cancellarij fuerint appellati. Hic ad summum Pontificium culmen anno 1187. Ferrariæ assumptus, & Gregorij Octavi nomine insignitus, quinquagesimo septimo (post creationem) die, Pisis diem obiit, quo se mox ad Pontificatum euectus contulerat, ad celeriter classem, pro Terræ Sanctæ recuperatione parandam, quam Christiani nominis hostis, oppugnarat, utq; Christianorum reliquias per eas regiones diuulsas, atq; dispersas, in unum cogeret, tantisq; malis quibus Oriens vexabatur, medicinam afferret; Omnes Historici qui vitas Pontificum conscripserunt, de eum mentionem faciunt, tum nuper Alphonsus Ciacconius, & ante eum auctor Ligni vitæ, Panuinius de Vitis Pontificum, Platina, & cæteri antiquiores, eum Sertorij filium asserunt, & ex claro, et antiquo genere, Beneuenti ortum, virum, omni vita laudatissimum, prudentia, & sanctitate conspicuum, ultraq; eos Beatus Antoninus, vol. 2. Historiarum, de eius electione, atq; interitu, pie verba facit.

Floruit, & his fere temporibus Petrus de Morra Cardinalis Sancti Angeli, ab Innocentio iij. anno 1202. creatus, hic Epistolarum Decretalium librum eiusdem Innocentij nomine editum, condidit, Legatus ad pacem componendâ inter Philippum Franciæ, & Riccardum Angliæ Reges, graui inter se bello decertantes missus, dum eadem legatione fungeretur, anno 1204. in monte Pessulano Concilium celebrauit, cui quinque Archiepiscopi, quamplurimi Episcopi, & Abbates interfuere, cuius monitis, sacra militia in Albigenses decreta est; Hæc de eo Ciacconius, qui & insignia gentilitia familiæ annectit, ut & Panuinius.

His proximum Henricum de Morra oppidorum Morra in Hirpinis, Caselle, Baroniæ Corbellarum, et nonnullorum feudorum in Lucania, Dominum habemus, hunc, Cameræ Imperialis Magistrum Iustitiarium, & Regni Sicilia Proregem fuisse, plura testantur. Primo quidem rescriptum extat Imperatoris Federici, quo anno 1224. eidem Henrico iniunxit, ut litem componeret, quæ inter nobiles Surrentinos, & Paganos (quos

D planum

planum habitare vulgo dicunt) vertebatur, his verbis.

Federicus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliae, Henrico de Morra, Curiae suae Magistro Iustitiariorum, gratiam suam, & bonam voluntatem, etc. Nouerit Excellentia vestra, quod villani casalium Surrenti, dudum nobis, & quae sequuntur; Alia enim huius rescripti ab exemplari desumpta, in Sacri Consilij actis extant, infraque habentur ad verbum.

Secundo, Idem liquet, ad eundem Henricum, eiusdem Imperatoris rescripto, anno 1239. & ad Capuanum Archiepiscopum, & Episcopum Rauellensem ad quaedam peragenda hoc pacto.

**In Registro Imperatoris Federici II. signato 1239.
October in Castris propè Mediolanum.**

D*Ecimo tertio facte sunt literae de Imperiali mandato ad familiares s. Capuanum Archiepiscopum, & P. Reuellensem Episcopum, Mandamus, & precipimus fidelitati vestrae, quatenus visis his literis diligenter, et sollicitè Registra, & quaterniones vestros inquirentes, ac fideliter in vestro animo reuoluentes inueniatis, et distinctè, et plene scribi faciatis omnia eorum nomina, quibus ex quo in officio vobis commissio, iussistis, & commissistis aliquid de seruitijs, et negotijs ad officium vestrum spectantibus, vel vobis commissis, & quid etiam unicuique eorum commissistis. Studentes quousque, ad festum Natiuitatis Dñi primo venturum, tam illorum nomina, quam commissa negotia, fideliter in scriptis redacta ad nostram praesentiam transmittatis, aduertentes, quod nulla in mittendo mora non protrahantur ulterius, vel de his quae scribenda sunt, nihil aliqua tenus omittatur, quia si per alios, quam per vos, nobis aliquid innotescat narrari, proculdubio patiemini penam pro culpa.*

Similes literae factae sunt, Henrico de Morra, Magistro Iustitiariorum, praeter quam datus est sibi terminus mensis unius, post reditum suum in Regnum, quia praesens erat in curia.

*Non tam sicco pede summisque labijs tactum, praesens rescriptum
erit*

erit prætereundum, ut ex eo dignam planè considerationem, non alijs inferiorem pro nostro Henrico non eliciamus, siquidem ex eo resultat satis aperte (Federico longe ultra mare in Germania, vel Subalpinis varijs expeditionibus detempto) huius Regni curam, et regimen his trium viris delegasse, à quibus administrationis rationem exigebat, & qualiter eorum ordinibus, & mandatis subditi subordinati respondissent, res certe plana; siquidem de alio Prorege, seu Imperatore, in hoc Regno agente illis temporibus, nulla ex annalibus nullaq; ex Archiuorum tabulis comprehendatur memoria, cumq; longe pluries, et per annos, Federicus abfuisset, hosq; tres insignes viros Regno præfuisse censendū vel distinctis regionibus, vel ad illud iunctim administrandū eos elegisse. Non aliud quippe duobus Episcopis, & Magistro Iustitiarum munus demandari potuisset, quam ipsa Regni administratio, in req; tam ardua merito adhuc, et leues subministrorum culpas exquisitione, & animaduersione dignas existimans; sicq; dicendum non insulse, huius Regni regimen etiam, ut, & ulterioris Siciliæ dicemus, eodem Henrico nostro quandoq; demandatum, quod liquido comprobarent precedentia registra, & quinterniones, eiusdem Federici tempore, disposita continentes ab anno 1198. quo regnare cepit, usque ad annū 1250. quo decessit, sed tantum unicum istud de anno 1239. seruatum in archiuo reperitur cæteri ut pleriq; aiunt reme ante Cattolico Rege in anno 1507. in Hispaniam translata. Vtinam extarent, nam plura alia nostræ familiæ decora, quæ tunc in auge videbatur, ex illis ad lucem emicarent.

Tertio, eiusdem Henrici Magistri Iustitiarum custodiæ ab Imperatore traditi fuere, Guizardus, et Guido de Petra Sancta Nobiles ex Gallia Cisalpina, quos cum alijs multis, captiuos Imperator ex ea Prouincia duxerat, eodem pacto in multos Regni Proceres, reliquis etiam distributis, quos cautè eius nomine detinerent, & in eadem distributione apparet, Iacobo de Morra fuisse similiter duos captiuos, Landulphum Cripellum, & Matthiolum de Flaya, et Goffredo de Morra, Mattheum de Prialone, ad custodiendum datos; cumq; in registro dicatur, eos aliosq; captiuos, Regni Baronibus custodiæ causa distributos; eodem

eodem tempore (quo & Henricus,) & Jacobum & Goffredum Regni Barones exitisse, opus est affirmare, prædicta habentur in registro supra citato Federici anno 1239. fol. 43.

Quod vero hic etiam Prorex in Sicilia Insula fuerit, testatur Io. Franciscus de Rubeis Histor. lib. 2. fol. 225. & in suis memorialibus Q. magni fol. 43. Dicit eum à Federico Imperatore Capitaneum Regni Siciliae constitutum, qui titulus Capitaneum Generalem, & Governatorem denotat, præcipue illis temporibus, et in viro in tali Dignitate constituto, ut erat Henricus.

Eiusdem Henrici temporibus, dum officio Magistri Iustitiarum fungeretur, controuersie composita sunt, de sacello in culmine cuiusdam Montis Angelorum Principi dicato, quod & Surrentinus, et Stabiensis Antistites, sua unusquisque ditioni subesse pugnabat, ita Capacius noster, vir multæ eruditionis, et qui Historias Regni præsertim, & antiquarum rerum memorias plurimum calluit, in sua Historia Neapolitana lib. 2. dum de Stabia loquitur, cuius verba hæc sunt.

In montis qui supereminet in fastigio, edicula præclara illa est, quam edificandam Sanctus Michael Archangelus, facem præferens (idcirco ad facitum dicunt, nisi à fagis arboribus malueris nuncupatam, quia licet hoc tempore nullas videas, plures tamen fuisse accolæ dicunt) Catello Episcopo Stabiensi, et Antonio Abbati iussit, ut ibi Deo immolarent, quam cum ex lignorum strue, Catellus incredibili adhibita celeritate vellet edificare, Antonius ex lapidibus ad perpetuam rei memoriam condere maluit, Bonifatius iij. summus Pontifex, Catello deprecatore, tegulis & plumbo, & alijs quæ opus erant (naui Roma asportatis) exornauit, in ea sæpius Diuus Michael se videndum Antonino obtulit, ut Catellum in calamitate constitutum consolaretur, quæ infra explicabimus, idcirco non modo idibus Maij, qui dies festus Michaelis celebratur, sed singulis diebus, tanti numinis recordatione, locum ab incolis optauerim frequentari; Ortalis est anno 1230. sub Federico Imperatore, qua, hanc ad se Ecclesiam pertinere, Guarnerius quidam contendebat, sed dum pro Episcopo Stabiensi, Petrus eius Ecclesie

Archi.

Archidiaconus; iura contra Guarnerium prosequeretur, & magnam Imperialem Curiam, reget Henricus de Morra Mag. Iustitarius, Aduocatis Simeone, & Henrico de Tocco, Loffredo de Sancto Germano, et Petro de Vinea eius Magnae Curiae Iudicibus, Imperator decreuit; ut quoniam Stabienfis Episcopus, iniquo bellorum tempore, eam Ecclesiam Henrico Theutonio, Castrimaris Arcis Praefecto commendauit, ne aliquid damni pateretur, multasq; alias ob causas, Guarnerius restitueret Episcopo. Haec ille.

Eundem Henricum quoad vixerat, Terrarum feudorumque omnium supra relatorum, ditione potitum mox demonstrabimus, tantum dicam, quod quamuis supra Henricum (nostrae Genealogiae à Gezelino infra, quem paulo post millesimum annum extitisse probauimus) ordinatam seriem non satis claram reperiamus, cum ex Roberto Philippus extet, Philippi vero filius desideretur, ita & qualiter ex Roberto, seu Gezelino, descendat Goffredus, illius Rogerij pater, qui in anno 1160. donationem fecerat Sanctae Mariae de Perno, de qua supra egimus, quiue fuerit Rogerius alter, cuius se filium dicit Gaufridus, qui se Dominum Morrae, et Robertum eius antecessorē appellat, in antedicta donatione de anno 1200. de quibus supra meminimus. Certum est Robertum, Dominum Morrae, fuisse in anno 1146. Gaufridum Dominum eiusdem Terrae in anno 1200. quam sub antecessorum suorum ditione fuisse recenset, inter quos Robertum ipsum enunciat, ut in dictae donationis rescripto. Cumque Henricus in anno 1222. Dominus eiusdem Terrae, et Baroniae habeatur, ex pluribus authenticis documentis, praesertim ex Archiuio Regiae Siciliae, ut infra. Ex his indubitata quodammodo resultat veritas, Henricum, antecessores Goffredum, & Robertum praedictos habuisse, & ex eisdem ortum duxisse. Attamen ab ipso Henrico quatuor centum annorum & eo amplius ad haec, usq; tempora curriculo, seriem, & Genealogiam, ita scripturarum testimonio plane comprobatam, per quatuordecim generationes ex uno, tresdecim ex alio latere, protenditur, ut nullus in eo ambigendi locus relinquatur.

Henricus tandem vita functus annum circa 1240. successorem

E habuit

habuit in feudis, Goffridum primogenitum, cumque Federici ferocia, et amentia supra omnem modum excrescerent, atque hostiliter in dies in Romanam Ecclesiam seuiret, iuste ab Imperij culmine deiectus est, ut in cap. ad Apostolicam de sent. & re iud. quamobrem tum reliquorum Regnorum iure priuatum, tum praesertim Regni Neapolitani, quod ab ipsa Romana Ecclesia in feudum acceperat, legitime subditis omnibus iure iurando dissolutis, veluti in publicum hostem, & Christianae Reipublicae destructorem, plures Regni proceres diuino zelo adducti conspirarunt, Coniurationis Duces fuisse; Iacobus de Morra, & Pandulphus à Fasanella, cui se socios addiderant Guglielmus, Franciscus, Thebaldus de Sancto Seuerino, Goffredus de Morra, atq; alij, qua tandem secreto Dei iudicio detecta, tanto furore Federicus in coniuratos, usque, vel leuiter sanguine coniunctos, exarsit, ut ceteris post habitis curis, totus omni conatu, eorum internecioni incubuerit, cruore eius nomina, cognationesq; deleturus. Coniurationis participes, licet leui argumento comprehensi, parricidarum poenas persoluerunt. Alios generis, vel minima coniunctione suspectos, varijs mortis generibus affectos trucidauit, martires gloriosos effecit, sexui, & etati nullatenus pepercit, plures igne, gladio, varioq; tormentorum genere dilaceratos extinxit, ut mitescere visus fuerit, cum non morte, quosdam pene infantes mulctaret, sed captos oculis horrendae caedis, testes ad sui ignominiam relinqueret, cumque simplicis affinitatis coniunctio cum conspirantibus, in crimen capitale adduceretur, usque ad quartum gradum diram in eos exercuit ultionem, quae totum fere Regnum afflixit, ut Collenucius & Carrasa testantur, illudq; addidere. Complures cum in Caputaquensem et Scalensem Ciuitates in Picentinis se recepissent, multorum mensium obsidione, magnisq; copijs eiusdem Federici praesentia circumseptos, strenue tandem, in hostem impetu facto, manus conferentes occubuisse, ijs, qui viuentes reliqui fuerant, miserrime (nulla sexus aut innocentiae habitae ratione) postea etiam trucidatis, vrbes barbarice prius direptas, tum igne succensas, non aliter quam sitim ultionis, sanguine restinguis, igneq; urbium, furoris ignem, pasci posse ratus.

Tyranni

Tyranni hanc ferocitatem, tantum ex familia euasisse huc usque reperi ut historie meminere, Iacobum, Federicum, Onofrium, & Rogerium ipsius Henrici minorem natu filium, qui captus oculis superstes fuerat, quos Diuinæ misericordiæ nutu, e, diræ bestię faucibus, ad familiæ reparationem ereptos esse, non ambigo.

Iacobus Coniurationis Dux, ut à seuientis tyranni ira se subduceret, alio se contulit, hostemq, se Federico suisq, patefecit, quamobrem adscitis sibi socijs, obaratisque quos plurimos in acie habebat, tum ubiq; locorum hostiliter se gessit, tum præcipue in Piceno agro, ubi collatis signis cum Riccardo Federici filio, cum diu utrinq; ancipiti prælio pugnatum esset, et ad hostem (militum numero potentiorẽ, victoria licet cruenta, nempe duobus millibus ex eis occisis) inclinasset, profugus hac illac errauit, donec mortuis Federico, & Conrado Regni successore, in Galliam ad Carolum Prouinciæ Comitem, Neapolitani Regni postea Regem, a Pontifice electum, profectus, cū nonnullis alijs Regni exulibus, eius in Italiam aduentum urgere conatus est, qui procul dubio maximo, eidem Carolo in ea re gerenda, adiumento fuere, quæ omnia plenius Robertus suo loco citandus, memoriæ mandauit.

Eidem Iacobo in Federici actis anno 1239. fol. 43. alios duos ex Gallie Cisalpinæ Baronibus (ut supra dum de Henrico diximus) Landulphum Crispellum, & Matthiolum de Plaiato in custodiam traditos legimus. Eum tamen ante Caroli aduentum diem suum obiisse arbitror, cum nulla deinceps de tanto viro fiat mentio, nec verisimile videatur, ut cum a Rege alij, qui non tantum nominis sibi compararant, ingentes honores adepti fuerint, eum quem strenuum Ducem cognouerat, tam gloriosi facinoris auctorem, & molitorem, quemque acquirendo Regno magnum habuerat adiutorem, ab eo non fuisse honoribus maximis, et beneficijs cohonestatum.

Hunc Iacobum Marchiæ Triuisanæ, ea circa tempora scilicet annis 1236. Rectorem, & Ducem a Federico præpositum fuisse testatur Sigon. Histor. de Reg. Ital. lib. 18. de quo ita memorat, dum de eodem Federico agit.

Dimissa inde concione Taruissum adijt, atque eis Prætozem Iacobum

bum de Morra Appulum dedit &c.

Mox dum de Alberico Tyranno loquitur, cuius filiam, & generum Federicus obsidum loco, Apuliam miserat, hæc subdit.

Ibi vero cum esset Albericus, propter filiam quam unice diligebat in Apuliam cum genero quasi ad supplicium amandatam, alienatus cum amicis suis, Taruisium occupavit, atque uxorem, et filios Iacobi Prætoris (ipso fuga elapso) captivos fecit, ætenuis Sigonius.


Sed quod de Iacobi Prætura Taruisiana perfunctorie agit Sigonius, paucis alijs ad maiorem claritatis lucem comprobemus: Ex Triuisana Historia per Joannem Bonifatium confecta, nuper edita excerpimus, quod Iacobus anno Domini 1234. ab ipsa Tarusij Vrbe, quæ instar Reipublicæ suam amplam ditio- nem plurimarum Urbium (castrorum, oppidorumq; insignium, quæ intra quadraginta milliaria latitudinis, quinquaginta vero longitudinis continebantur, (aliqua tamen Imperij agnitione) prius per Consules, Demum ortis inter Primarios opti- mates (qui noningentorum numerum attingebant) dissidijs, contentionibusq; maioris authoritatis, et dominij, consulto, con- sulari authoritate deposita, ad electionis optimi, strenuiq; viri (exteri tamen, et ab illis ac finitimis regionibus alieni, ac Sanctæ Sedis præsertim optime meriti) iudicium descenderunt, forma siquidem singulari et exquisita, ne fraus, aut intelligentia ali- qua in electione partem haberet, ut ex eodem late explicatur historiarum prædictarum libro 4.

Habebat is cui Prætoris nomen prius dederunt, mox Sacri Impe- rij Vicarij, omnimodam pacis, belliq; potestatem, supremamq; in omnibus authoritatem, cum designatis à Senatu certis probis viris, quorum in magnis consilio uteretur, suos destinabat Ju- dices inferiores in Vrbe, & in uniuersa eiusdem Urbis ditio- ne, à quibus omnia ei veluti Præposito ac Duci referebantur, sic & Militiæ intus, forisq; pro Status defensione, ad eius nutum di- spositæ. Deligebantur è tot optimatibus, viri ad munus tale subeundum, in Italia strenuitate, virtute, prudentia celebri- res, & talis fuerat anno 1236. electus Iacobus de Morra Neapolitanus, ita eum nominat prædictæ Historiæ Collector
libro

libro quinto, qui anno 1337. Venetijs à Senatu Taruisij destinatus, ut aduersus infensos Patauinos, consociarentur utriusq; Urbis populi. Deinde secundum post annum reuerso ex Germaniæ Federico, eique cum Patauini se dedidissent, idem (proprijs commodis consulendo) facere statuerunt Triuisani, in eorum magno Consilio; auctorante eidem Iacobo, qui benigne exceptus a Federico, eundem in ea suum, & Sacri Imperij Vicarium confirmauit, eaq; dignitate pluribus annis functo, Alberici facinus. Taruisijq; oppressio consequuta est, vixq; tyranni manus euadente Iacobo, detemptis captiuis uxore & filijs, quos mox (ipsis Taruisianis urgentibus) Albericus liberauit, ut ex Historia prædicta habetur loco citato. Vltra Sigonium supra relatum, & ante utrumq; Monac. Paduan. post. Othon. Frisigen. qui de gestis Federici sui equalis, in Gallia Cisalpina agit lib. 1. fol. 589. dum anni 1239. gesta recenset; Hinc ab eodem Federico Vallis Spoletanæ Præfecturæ missus in anno 1240. Sacri Imperij Vicarius in prædicto Ducatu, & armorum Capitaneus, fuit Iacobus constitutus, ut in Registro Federici anno 1239. ex quodam rescripto percipitur infra inter alia ad literam traducendo.

Porro in illa tam dira quæ à Federico accepta est clade, oppida feudaque, et omnia bona non modo coniuratis, sed etiam consanguineis atq; familiaribus erepta sunt, ea præcipue, quæ Henricus possederat, & ad Goffredum primogenitum moriens transtulerat, quæ cuidam Philippello Torniello concessit, Manfredus Federici filius, qui postea Regnum occupauerat, ipsosq; Goffredum, & Iacobum Caputaquensi obsidione in Federici potestatem deductos, uarijs suppliciorum generibus multauit: Dignissima de his omnibus in Regio Archiuio Iosepho Raimo commendato, duo seruantur testimonia, egregia eorum virtutis monumenta. Alterum originalis processus, qui à Federici Ministris de hac coniuratione conflatus est, in quo omnium affeclarum nomina, sententiæ, Bonorum publicationes atque omnia, quæ tunc acciderunt sigillatim legi potuissent, nisi temporum, trecentum septuaginta fere annorum iniuria, quod vix sine lacrimis commemorari potest, Archiuariorumq; negligentia, adeo corru-

F plus,



ptus, atq; exasus esset; ut pene totus (cadentis aquæ stillicidio) contabuerit, Alterum Registrum extat, in quo leguntur, ea quæ Carolus Primus (adepto Regno Neapolitano) plerisq; restituit, tum præcipue his qui à Federico, Conrado, & Manfredo filijs, bonis spoliati fuerant, in quo sub anno 1275. fol. 131. hæc leguntur.

Item Domino Rogerio de Morra, filio quondam Domini Henrici de Morra, fuerunt restituta per dictum Dominum Regem Carolum Primum, post eius felicem aduentum, Castrum Morræ, Caselle, Baronia Corbellarum, et feuda quæ tenet in Cilento mox subdit.

Item antiquitus Dominus dictæ Baronie, fuit Dominus Henricus de Morra, qui tres filios habuit videlicet Dominum Goffridum maiorem natu, Dominum Iacobum secundum, & prædictum Dominum Rogerium de Morra qui fuit minor, qui prædicti fratres maiores fuerunt deuastati, tempore rebellionis Capudatij sine filijs relietis, prædictus Dominus Rogerius fuit cecatus tunc temporis, et dictæ terræ fuerunt reuocatae ad manus Curie, & post modum Princeps Manfredus concessit ipsas Domino Philippo Torniello, qui tenuit ipsas terras, usque ad aduentum dicti Regis, qui in eius aduentu restituit dictas terras Domino Rogerio prædicto, hæc ille ad verbum.

Ambigebam duos ne, an unum hos Iacobus dicerem, alterum enim coniurationis Ducem reperio, alterum Henrici filium, qui ad Capudacium cladem accepit, cum tandem ut duos crederem, gesta rerumq; euentus, et fere certæ coniecturæ effecerunt, siquidem non poterat coniuratio illa, propter authoritatem in Principatu coniurationis, contra Imperatorem (tirannice) pene toti Italiæ dominantem, nisi a maximis viris constari, qui experientia, viribus, & authoritate valerent, ad stipulatur Laurentius Bonnicontro suarum Historiarum lib. 4. qui de hac conspiratione verba faciens ait.

Interea aliqui Regni Neapolitani Duces a Federico rebellauerant, inter quos Sansseuerinorum familia, pluresq; aliarum Ciuitatum Principes: hætenus Laurentius, porro Iacobus Henrici filius, secundus in ordine, nec ditione adeo magnus erat,

nec

nec etate grauis, quem tot Regni proceres, & Principes in
 tanti momenti re gerenda, Ducem sibi deligerent, quamobrem
 necessario concedendum arbitror, Jacobum coniurationis Du-
 cem, Henrici fratrem germanum, vel alio necessitudinis vin-
 culo adstrictum, cuius (mortuo Henrico) pubescentes filij Gof-
 fredus, & Iacobus, authoritati deferrent eiusque voluntati ob-
 temperarent.

Hoc tamen clarius patet ex eo, quod anno 1239. cum inter Regni
 Barones, captiuos lombardos custodiendos Federicus distribuif-
 set, & simul appareat ex ijs duos Henrici ante dicti custodie
 commissos, totidem Iacobo, unum Goffredo, ut habetur in præ-
 citato Registro fol. 43. Absurdum videretur Jacobo, et Goffri-
 do Henrici filijs commissos captiuos ut supra diximus, sed alteri
 Jacobo, alteriq; Goffrido maioribus ijs, nempe qui in Federicū
 postea conspirarunt: De quo eodem Goffredo, cum nihil præte-
 rea reperiamus, aut inter licitorum manus peremptum, vel in
 acie, aut obsidione dimicantem occubuisse, veluti plurimos etiam
 in urbium illarum obsidionibus, euerfionibusq; concidisse credē-
 dum est, duobus præterea maximis prælijs. Altero ad Ciuita-
 tem nouam, in quo ad duo ipsorum millia cæsa sunt, altero ad
 Canusiam planitiem, quò cum Federici, et Manfredi copijs an-
 cipiti fortuna, integro die atroci pugna dimicatum, in quo ipso-
 rum plurimi, tum magna Sanseuerinorum pars cecidere. Ex ea
 clade Aymarius de Sanseuerino uiuus euasit, qui Rogerium fi-
 lium vel nepotem nouennem ex hostium unguibus (Donatelli
 cuiusdam de Stasio sui familiaris opera) eripuit, qui quam ci-
 tissime Venusiam petijt, puerumq; clam noctu per mania dimif-
 sum, per deuia locorum ad Celami Comitissam Rogerij Amitam
 duxit; A qua demum ad Innocentium Pontificem missus, ab
 eoq; benigne susceptus, & honorifice educatus est, cum primum
 vero adoleuit, illi neptem ex fratre in matrimonium iunxit,
 postea Caroli aduentu Marforum Comitatum terras alias
 familie, aliaq; bona recuperauit. Hunc arbitror Rugerium,
 illius Aymarij filium, vel nepotem, cum de eius salute (extrema
 casu proprie) sic affectuose curauit, ut tradit Mattheus Spi-
 nellus a Lucenatio in suis Commentarijs, siue memorialibus
 suc-

successum Regni sui temporis, quæ ad verbum in familia de Sancto Seuerino, retulit Ammiratus.

Hec cadit memoria Rogerij de Morra, qui in anno 1239. ut ex eodem Registro Federici legitur fol. 59. mittitur ab ipso Federico ad quosdam accipitres conducendos, vocatque ibi eum vallectum suum, quo etiam, nomine sicuti ex eodem Registro fol. 55. Comes Casertæ denominatum legimus, nimirum, quod Vallecti Maximi, (et toti Europæ formidabilis) Imperatoris Magnatum, et Principum filios fuisse credendum, sed quis fuerat Rogerius iste compertum non habeo, assuerarem illum tertium Henrici filium ex nominis conformitate, sed cum illi minor etas vitam defendit in ultione Federici in anno 1246. non est verisimile puerum decemnem vel circa, ad seruitium prædictum fuisse destinatum, unde alium fuisse ex familia nostra opus est affirmare, quæ illis temporibus florens erat opibus, ditionibus, et sanguine numerosa, quorum vix paucos, e tenebris ad lucem eduximus.

Vastitates atq; immania supplicia, quæ gens nostra, toto fere orbe exterminata perpeffa est, præter ea quæ ex dictis authoribus habentur, maximo commiserationis et pietatis sensu, a Roberto Rege (in inuestitura status concessi Goffrido de Morra anno 1321. ut infra suo loco explicabimus) referuntur, illud autem immane referam, ex Fasello (à quo Carrasam transumpfisse non ambigo) qui idem testatur in histor. Neap. lib. 4. Fasellus namq; Sicularum rerum diligens, et Laconicus Relator lib. 8. Historiarum Decade 2. dum de hac clade agit, hæc habet Thebaldum Franciscum et Guglielmum de Sancto Seuerino, pluresque alios Proceres, qui apud Neapolim anno salutis 1244. mense Martij, ab eo ad Pontificem defecerant, captos immanibus adscripsit supplicijs, pluresq; eorum ardenti flamma combussit, uxores vero cum infantibus, in Palatio Panormitano subterraneis latebris deuotas, inedia conterri, et exinaniri mandauit, unde ad etatem usque meam, vernaculum ibi adagium inoleuit, Mulieres quæ male Panormum uenerunt, quarum duo cadauera anno salutis 1514. a fossoribus qui ad carceres reficiendos forte descenderant, reperta integra, etiam cum vestibus

stibus incorruptis, maximo cum stupore, (nobiscum concurrens tota Panormitana (ciuitas) spectauit, hæc Fasellus ad verbū: Miraculo certe ea corpora relicta sunt, ut earum martirium innotesceret, quæ pro Dei fide, et Sanctæ Ecclesiæ defensione crudeliter perierant, & quæ cum diem momentaneæ huius vitæ fideliter clausere, æternæ vitæ immortalitate gloriose fruerentur, in cuius testimonium non sine Diuinæ prouidentie nutu, incorruptis corporibus, non consumptis vestibus, in cauernosis latebris, post annos ducentum septuaginta, reperta sunt; quod non nisi illarum sanctitatem, & martirium redolet.

Hismet temporibus memoria habetur de Gualterio, de Ioanne, de Angelo, de Federico, & Onofrio eiusdem familie.

Gualterius plura Castra, et Feuda possidebat in Prouincijs Aprutij, cuius fidei Federicus, nonnullos ex Padua obsides detinendos commiserat, testatur Philibertus Campanilis antiquarum Regni huius memoriarum & successuum, elaboratus, et diligens perscrutator in suo opusculo nonnullarum familiarum nobilium Regni, dum de nostra agit, quod & ex Regio Archiuio, et prædicti Imperat. Federici Registro de anno 1239. fol. 42. desumpsisse compertū habeo, in eo nempe habetur ista obsidum consignatio Gualterio, qui ibi frater Gualterius nuncupatur, puto enim militem fuisse templarium, Hierosolimitanum, siue Hospitalarium cum aliæ Religiones extra claustra uiuentium tunc temporis non essent, qui fratres appellarentur, et hi poterant feuda tenere, quod militibus Rhodianis, quo hospitalarij se transtulerunt in anno 1308. et Melitensibus, nostra tempestate in eorum locum successis, non permittitur, ex feudorum iuribus, & regni decretis.

Joannem a secretis eiusdem Imperatoris siue libellorum magistrū fuisse colligitur ex eodem Registro fol. 40, ubi eundem Imperiali nomine literas dedisse 24. Decembris, 13. Indictionis de Imperiali mandato factō per Dominum Ioannem de Morra scriptum Laurentio Alexandro, et quæ sequuntur.

Angelum & his temporibus floruisse, & Imperatori valde carum ex rescripto in eodem Registro fol. 40. docemur, aliud enim habetur de mandato Imperiali factō per Magistrum Riccardum

G

de

de Traietto, in hanc quæ sequitur formam. Scripsit Petrus de Capua ad Angelum de Morra, Fidelitatis tuæ literas plura capitula continentes, quæ nostræ curiæ destinasti, benignitate recepimus consueta, quorum Capitulorum partibus, tibi per literas nostras recolimus rescripsisse, super alijs vero, tibi in proximo, nostræ mictemus beneplacitum voluntatis, apud Pisas.

Federici meminit Matthæus Spinellus a Iuuenatio, qui cum ea tempestate floureret, rerum quæ in dies fiebant euentus, rudi ac patria lingua transcripsit, in codicem materna lingua, qui per manus fertur, eiusdem authoritatis, ac si typis excussus esset. Is namq; fol. mihi 1. refert quod mortuo Conrado cum Regni possessio sedi Apostolicæ obuennisset, Innocentius Quartus qui Neapolim se contulerat 4. Septembris anno 1253. ad Prouincias Bari, et Hidrunti gubernandas, (quæ tunc unico præsidatu regebantur) sub titulo ipsarum Iustitiarij, ipsum Federicum transmississe, quem de cœtu Baronum exulum a tempore Federici nominat, cumq; post, anno nempe 1255. cum Onufrio de Morra, oratorem missum dicit ad Alexandrum Quartum, per eosdẽ profugos Regni proceres, ut mox latius de Onufrio dicemus.

Onufrius ab eodem Matthæo inter Barones exules describitur, & dum anno 1255. Mortuo Innocentio Manfredus qui pridem uti Tarenti Princeps eidem Innocentio se ligium iure iurando constituerat, & obedientiam præstiterat, occasionem nactus, sedis ut aiunt vacantis, dum Cardinales de Pontificis electione contenderent, ope Saracenorum tunc Luceriam incolentium, quæ ab ijs Luceria Saracenorum dicta est, in Apuliam ductus, copias Ecclesiasticas, quæ Fogiæ residebant, repente compressas, fugauit, ac per totum volitans, Regijs resumptis insignibus, illud denuo suæ ditioni subegit, qua de re Barones, proceresq; exules, Federici, & Manfredi filij, hostes antiqui, nouum Pontificem Alexandrum quartum petere coacti sunt, cui Romam Oratores destinarunt, sanctæq; sedis auxilium implorarunt, cuius in obsequium, & defensionem, bona filios ac vitam perdere non dubitaruerant, & porro inter hos Matthæus nominat Rogerium de Sancto Seuerino, Eliam de Gesualdo, Federicum de Morra, quem duobus ante annis Prouinciæ Terræ Bari,

& Hi-

et Hidrunti, ut supra diximus, Innocentius Iustitiarium miserat, Onofrium similiter de Morra, et Pandulphum de Fasanello, qui cum Iacobo de Morra Duces fuerant facinoris illius, saltem generosi quia tentatum, in quo, ut in magnis praeclarisq; voluisse sat fuit; Ab his omnibus et alijs subdit electos Oratores, et missos fuisse ad nouum Pontificem, praedictos Federicum, et Onofrium, nec de eis aliud exploratum huc usq; habeo.

Non praeteribo in Registro Caroli Primi signato 1269. littera C. fol. 17. a ter. suam a Rege praestitam auctoritatem pro validando, et confirmando laudum per arbitros a partibus electos latum, in quo definitum fuerat Castrum Riardi Perna de Morra legitimo Iure pertinere, sed quae ista Perna fuerat, et quo pacto iram Federici declinasset compertum non habeo. Erat nomen hoc eo tempore apud primarias feminas frequens et visitatum, et ut de alijs taceam. Perna vocabatur uxor Tomasij de Sancto Seuerino Comitis Marsicensis Rogerij (supra memorati Comitis) Patris, ut est in processu collecto tempore Caroli Primi qui in Regio Archiuo asseruatur.

Hoc Caroli Primi rescriptum alterum menti reducit, nullatenus praeter eundem, quod ubi de status restitutione Rogerio facta per Carolum ipsum venerat recolendum, è manibus excidens, fuit incuria praetermissum: In Registro igitur eiusdem Caroli anni 1268. littera O fol. 62. mandat suis Thesaurarijs Prouincialibus Carolus, ut subfeudatarios eiusdem Rogerij ad adobe solutionem, pro curia nullatenus compellant; cum illud eidem Rogerio iure persoluant; iniustumq; fore, (ut eiusdem proprijs verbis utar) si subfeudatarij praedicti ad binam adobe praestationem cogerentur. Interq; feudatarios nominat Robertum de Monigerano Militem in feudum à Rogerio tenentem Casale Monigerani, quod hodie dicitur, li Morigerali in Lucanis. Habebitur Rescriptum infra suo loco ad verbum. Ex eo, nedum Caroli iustitiam, et in Rogerio nostro propensionem adnotandam duxi; sed et verba illa, plurimum facienda, in quibus enunciat Robertum, suosq; praedecessores, pro Casali praedicto debitum seruitium antecessoribus eiusdem Rogerij, praestitisse, à

tcm.

tempore Catholicorum Regum Sicilia, sicq; continuata præstatio ad sua usq; scelicia tempora. Ex quibus fundatur a Normandorum Regum temporibus quingentis retro annis, & ultra nostrates antecessoresq; Rogerij, Terrarum, Castrorumq; ditioe præclaros, etiam subfeudatarios nobiles, babuisse.

Franciscus pro temporum supputatione hic se nobis offert huius nominis, antiquorum traditione quæ ad nos demanauit, Beneuenti ortus ea stirpe, à qua, et Sertorium, & Albertum qui, & Gregorium Octauum, & Petrum Cardinalem extitisse supradiximus, hunc Franciscum, Roffredus Epiphanius in generum sibi adsciuit, Sibia in matrimonium data: Federici, hic Roffridus, primus a Consilijs fuit, cum tamen Imperatorem, amentia perditum, delapsum, ab Romana Ecclesia deficientem animaduertisset, abdicato Magistratu ad proprios lares reuersus, ibi paulo post ex hac vita decessit, & in Ecclesia Diui Dominici, in edicula quadam Angelorum Principi dicata sepultus, in cuius marmoreo tumulo hæc leguntur.

Ille ego qui mundum famo sus lege repleui
 Roffredus tumulus me capit iste breuis,
 Discite legentes quod nec sapientia legum
 Resistit morti nec summa potentia Regum.

Pluribus annis primam Iuris ciuilis Cathedram Bononia tenuit, Aureum libellorum librum edidit, in quo omnia Iudiciaria tela, omnes actiones ob oculos obijcit, & iocandi gratia plures questiones adnectit quas sabbatinas appellat, his omnibus certe clarus & sua tempestate percelebris, natalibus quidem celeberrimus, siquidem ex Ducibus siue Principibus Beneuenti ducens originem, Victorem tertium in sua stirpe iactabat, qui Dauserius antea vocabatur, cumq; a Patre ad illustrissimas nuptias sollicitaretur, eum cunctatione delusit, eodemq; defuncto, matrem, affinesq; deserens, clam Eremum Sancti cuiusdam viri in quo subsequenter annis Sanctæ Mariæ de Ferraria

mona-

monasterium fuit extructum, ipsaq; adhuc Ecclesia in monte extat prope Beneuentum, deinde ad monasterium Trinitatis Cauase abdidit, & sacris initiatus, quod Dei seruiendi desiderio flagrabat, Desiderij nomine est insignitus, quousq; ad summum Pontificatus culmen euectus, Victoris nomen accepit.

Hunc Principis Beneuenti filium fuisse Historia monastica, & Arnoldus Vuion in suo ligno vitæ, sed Chronica Cassinensis, non Principis filium, sed de Principum genere ortum, affirmat id quod mihi verisimilius est, quippe Leo Hostiensis Episcopus in eiusdem Victoris vita, cuius non modo contemporaneus, sed discipulus etiam fuit, ex eiusdem Victoris ore loquutus, hæc inter alia scripsit.

Mox Desiderius ad Principem Guaymarium (erat is Salerni Princeps) sibi consanguinitate coniunctum accedit, aduentus sui aperit causas, orat ut quoniam in Patria Monachus viuere parentum pertinacia non posset, quiete apud illum seruire Deo liceat, si hoc impetraret, nunquam discessurum, sin vero, propinquis reddere illud cogitaret, modo potius a se dimictat, aliorum profecturum. Huius aduentu Guaymarius letior factus, admiransq; tantum in adolescente feruorem, annuit postulatis, eumq; secum diebus paucis retinens; nullisq; se illum rediturum fidelissime pollicitus, ad monasterium Sanctæ Trinitatis, quod ad Cauam dicitur, (non longe a Salerno eo petente,) transmisit, id ubi propinqui persenserunt, magnis precibus Guaymarium ut sibi illum reddat frustra interpellant. Verum Landulphus Beneuentanorum Princeps Matris, ac propinquorum præce fatigatus, Salernum venit, & Desiderium affinis reddi postulauit. Hæc Leo lib. 3. cap. 3. erat enim Landulphus hic Principis Guaymarij socer. Hinc duo verissima elicio, alterum quod Victor non fuit Beneuentanorum Principis filius, alterum quod licet non filius Principis, de Principum tamen sanguine emanans, illiq; Principi tunc viuenti admodum coniunctus, ut qui ad eum solum euocandum, personaliter Salernum petisset.

Hi tamen huius ætatis Principes, maximam Regni partem dominio possidentes, Regulas Regali fulgore viuentes, Sigonius

G

Eremp-

Erempertus alijq; tunc temporis scriptores exponunt ; At qui pro temporum computatione, cum Victor decesserit anno 1087. sexagesimo etatis anno, ut in Epitaphio, quod in eius sepulcro positum refert Panuinius, in quo magnam eius vite partem expositam legimus, constat se monacali habitu indutum, anno circiter 1047. ex familia vero Epiphania fuisse, omnes conveniunt, illud tamen ex eodem Panuinio hæc subnectere volui pro huius Sancti Pontificis memoracione.

**Quis fuerim, vel quod, qualis, quantumq; doceri
 Si quis scire velit, aurea scripta docent.
 Stirps mihi magnatum, Beneventum Patria, nomen
 Est Desiderius, tuq; Casine Decus,
 Intactam sponsam, Matrem, Patriamq; propinquos
 Spernens, huc propero, Monachus efficior.
 Abbas de hinc factus, studui pro tempore totum
 Ut nunc aspicitur, hunc renouare locum:
 Interea fueram Romana clarus in Vrbe
 Præbiter, Ecclesiæ, Petre, Beate, tuæ:
 Hoc senis lustris minus anno, functus honore,
 Victor Apostolicum scando dehinc solium:
 Quatuor & senis, vix mensibus inde peractis
 Bisslex iustra gerens mortuus hic tumulor,
 Solis virgineo stabat lux vltima signo,
 Cum me sol verus, hic tulit ipse Deus.**

Extat tamen in Bibliotheca Archiepiscopali Beneventi quidam codex peruetustus manu scriptus in nonnullis membranis corrosus, et lacerus, in quo sunt descripti nonnulli contractus quibus pro Iudice interfuisse legitur Roffridus Epiphanius ab anno 1274. usq; ad 1289. sed vere magis formularium cautelarum videtur, quam verum prothocollum dicendum, patet, quia in pluribus illorum contractuum in fronte, seu in margine denominatur qualitas illorum, et forma inferius describendorum ut emptionis, locationis, & similibum, & sicut nomina contractuentium, sic in eis apposita noscuntur, ita, & nomen Iudicis fingi

fingi potuisset, hoc autem non quod illis temporibus Judicis ad contractus potestas, & officium non fuisset honorabile, & nobilium peculiare, & speciale, siquidem ad hoc Primates nobiliores, probioresq; & eruditi viri, ad contractus authorandos iudiciaria authoritate, deligebantur, ut ex Regni Constitutionibus Federici Imperatoris tempore congestis, in Const. In locis demanij, et constitutione Presenti, aperte precipitur, sed quia durum profecto videtur, quod qui Consiliarius supremi ordinis apud Federicum fuerat, qui anno 1250. decesserat adhuc anno 1290. viueret, & negocijs implicitus extitisset, nisi et, secundum Roffredum illius Primi ex filio Bartholomeo nepotem fuisse autumabimus, quo absq; liberis defuncto ad Sibiliam, & Francisci filios, Primi Roffredi bona hereditaria peruenisse.

De coniunctione, & serie Roffredi, ab hoc dignissimo stemmate nulla scripta extant monumenta, cum omnibus qui Historias callent notum sit, sepius Beneuentum fuisse iam ab ijs temporibus direptum, deuastatum, succensum, sed validissime afferuntur probationes, denominatio eiusdem familie, temporum proximitas, insignia eadem, tres scilicet aurei anuli in ceruleo campo inter se diuisi, quæ Ducum seu Principum Corona tegebantur, traditio præterea ex Patribus ad filios, ac nepotes huc usque transmissa legimus: item nobile Bartolomei Roffredi filij testamentum usq; ad nostra tempora in Archiepiscopali Bibliotheca Beneuenti seruatum in quo inter cætera ad orbis mæniorum refectionem dignissimum extat legatum: Hæc tamen breuiter de familia Epifania, de qua quia nostræ, iam per Sibiliam Roffredi filiam (extincta in eius nepote ex Bartolomeo eius fratre, Masculina Epifanorum familia) insita, in eam se tota transfudit, aliquid de ea libuit non longius enarrare dicendo; sed breuius recolendo perstringere.

Ex his Francisco, & Sibilia coniugibus alij Beneuenti orti sunt usq; dum, maribus prorsus extinctis, per feminam iterum in eodem trunco, adscitus ramus iste re floruit, ut infra suo loco.

Hereditaria Roffredi, familia nostra adhuc domũ possidet, cuius in eius scriptis idem Roffredus meminit, dicēs eã sitã in Parrochia Sanctorum Simeonis, et Iudæ vetustissimaque cernitur, ac fere labens,

labens, et quæ inter alias domos elegantes, et in venustiore formâ redactas, ob antiquitatis fere memoriã, se conspicuã reddit, item Ius patronatus eiusdem Parrochiæ, commune cum Dominis de Vipera, eiusdem Ciuitatis nobilibus, ex linea tamen Troiani, quod tamen nostra, et ipsorum incuria, extinctum videtur, cum Ecclesia prædicta (paucis ab hinc annis) auctoritate Apostolica, sacro monialium Sancti Victorini Cenobio, amplificando tradita fuerit, et Iure a Pontifice poterat debueratq; peti, ut ius illud in aliam Ecclesiam transferendum mandaret. Vineæ quoq; possidetur a nobis ad Ciuitatis mœnia, sub Castro ad occidentem, iuxta puteum publica via a Castro, et porta quæ antiquitus, summa vocabatur, ad Sapati flumen protendente, in hac fertur, senio confectum, et ad mortem properantem, à Iudicibus Magnæ Curie repertum Roffridum, vites suis manibus ferro expurgantem, qui ad eum accesserant, ut nodosam quandam iuris difficultatem solueret, quod ab eo extemplo factum est, ne capite quidem ab opere erecto.

Sacellum tandem, ubi in marmoreo tumulo ipsius ossa quiescunt omnesque de familia iam inde contumulati, et in eiusdem Sacelli subterraneo sarcophago, ut et nouissime Camillus pater, nec silentio prætereundum, Ecclesiam quæ Sancti Dominici Titulo insignitur, à Roffrido conditam, eidemq; Patriarchæ Dominico viuenti donatam, cum enim plura Cenobia sui ordinis in Regno fundasset, à Roffrido accersitus qui miraculo ad fuerat Neapolionis Romæ ad B. Patris nutum, vitæ rediti, Augustiorem fortassis antea, in Augustiorem formam redactam, et dotatam ab eo accepit, in qua tamen Beatissimus Pater, sub Diuæ Magdalensæ nomine, sub quo fundata prius fuerat, et constructa, sui ordinis fratres instituit, postea vero cum ad Cælos Dominicus euolauerit, vel ob eius nominis reuerentiam, vel fratrum opera, siue Populi pietate, ipsius Dominici nomine templum appellari ceptum est, ibidem in marmoreo epistyllo super portam a latere templi, hæc leguntur carmina, quæ post mortem Beati Dominici, et illius in Sanctorum numerum relationem, quæ illis ferè temporibus acciderant, sculpta, pro operis Coronide credere opus est.

Iudex

Iudex Roffridus, in legum dogmate fidus
 Doctor Epifanides, Auctor fuit istius Aulæ:
 Christe Maria tibi, Dominice, Magdale, Paule,
 Iudex Roffredus, æternum confero fœdus,
 Fratribus hoc munus, vt post miserabile funus
 Nullus natorum possit transferre suorum.
 Ius patronatus est locus iste datus,
 Christi nascentis, terdenis mille ducentis;

Habet à latere hæc alia verba videlicet. De mense Augusti cum vxore sua Trusia &c.

Ex hac vetustissima inscriptione percipitur, Ecclesiam Diui Dominici in Ciuitate Beneuenti, esse de iure patronatus nostræ familie, ex legitima Roffridi successione. Et Jus nominandi Priores, habebant nostri antenati, alijsq; prærogatiuis, & honoribus potiti sunt, qui in Ecclesijs patronatis, patronis ipsis de more præstantur, sed rerum mutationes, bella, plures eius Ciuitatis euerfiones, & succenfiones, omnia operuerunt, & consumpserunt, et hæc memoria nisi in marmore adesset, cum alijs, etiam abolita fuisset.

In eadem Ecclesia seruat peruetusta memoria insignium familie, sicuti etiam in Archiepiscopali Ecclesia aderant, in sacello, quod Principum denominatur, antequam templum renouaretur, & in hanc, quæ aspicitur, formam redigeretur.

Sed diu ambigens ex quo Principum Beneuenti stemmate, istud Epifaniorum descenderet, quoniam plures diuersis temporibus extitere, eiusdem Ciuitatis Principes, diligenter indagans, & scriptorum monumenta reuoluens, in eam descendi sententiam, vt ex Atenolfo, qui prius Capuæ Comes, deinde Beneuenti Principatum obtinuit, anno 899. illudq; ad posteros ex sanguine transmisit qui centum quinquaginta tribus annis, illo potiti fuerunt, donec ad Rodulfum Principem peruenit, a Leone nono inuestitum in anno 1054. cui Enricus Imperator Beneuentum, quam sibi aduersam habuerat, & reluctantem, in permutationem aliquarum Ecclesiarum Germaniæ tradiderat, vt ultra Ammiratum, Sigonius lib. 8. Panuinus, & Ciacconius in vita prædicti Leonis, ea etenim ratione temporum nempe

H

suppu-

supputationis, nam si Victor tertius, qui in anno 1087. decessit, sexagenarius erat, ut epitaphium testatur, tum anno 1027. vel circa natus, opus est affirmare, quo tempore iuxta computationem Ammirati, Sigonij, Eremperii, & aliorum, Princeps Beneventi erat Atenolfus, ex illo Atenolfo Primo qui ut dixi anno 899. Comes Capuae, mox Beneventi Princeps, propria virtute effectus, Principatum illum per annos 153. in familiam, & successores transmisit, intra quod spatium recte cadit tempus ortus Victoris, eiusque adolescentia: Princeps enim Beneventi erat socer Guaymarij Salerni Principis, ut supra retulimus, siue ut aliqui voluerunt, cognatus. Suadetur eo maxime ex Cron. Cassinensi, ex qua percipitur Dauserium, Principi Salernitano sanguine iunctum fuisse, idemque, Sigonius, & Eremperius tradunt. Haec de Epiphania familia, nostrae annexae, & in eam transfuse, & extinctae dixisse sufficiant.

Ad Rogerium modo redeundo tertium Henrici filium, quem minor aetas seu morti praeripuit, restituto statu per Carolum Primum ut supra narrauimus, filium habuisse comperimus, Franciscum, si alios genuisset, usque modo nos latet.

Franciscus nupsit Chyltegrinae seu Catharinae de Sancto Seuerino nepti Rogerij Comitissae Marsicensis, probatur ex assensu à Carolo Primo, super illud matrimonium contrahendum, concesso, in anno 1274. ut ex computatione indictionum elicitur, siquidem duodecima indictio in predicto assensu adnotata, cum careat anni expressione, cadebat in predicto anno 1274. licet adnotatus videatur assensus in Registro eiusdem Caroli signato 1269: litera. B. fol. 26. et a tergo.

Erat enim haec licentia necessaria ex quo per constitutionem Regni Honorem nostri Diadematis, editam à Federico Imperatore, paucis ante temporibus, Militibus, & qui Baronias, & Castra, vel feuda a Curia tenebant, uxores ducere, & filios, vel filias, nepotes, ac neptes matrimonio alligare, absque Regis licentia vetabatur, quae tamen constitutio paulo post ab eodem Carolo Primo abrogata est, ut quae Sacramento matrimonij eiusque libertati detrudere videbatur, et solum respectu feudaliū in dotem assignandorum, vel pro dotis solutione, & restitu-

tutione obligandorum, Regale beneplacitum exigendum statuit, ut per capitulum Regni incip. Item statuimus, quod licitum; in hoc, etenim matrimonio, attenda constitutionis Federici dispositione, quæ tunc vigeat, ex utriusq; parte licentia requirebatur, quia omnes feudatarij; & Rugerius iste Marsici Comes, cum ille fuerat, cuius supra meminimus apud Pontificem seruatus, usq; ad Caroli eiusdem aduentum, à quo, & bonis restitutus; absq; dubio inter Regni proceres, vel maximus, vel primus erat, cuius Chyltegrinam hanc, neptem ex fratre, vel sorore credendam, cum ex filio, ætas ipsius Rogerij, id non admittat, qui anno 1247. ut Mattheus à Louenatio in memorialibus sui temporis describit, nouennis erat, cui indubia fides adhibenda, in his, quæ sui temporis successa describit.

Ex Catherina Franciscus filios suscepit Rogerium primogenitum, & Goffridum, suscepit & filiam Isabellam in Regia Domo nutritam, Reginae Sanciae Domicellam in primis curam, quæ ex egregio facinore in suos, et familiam operato, pro status restitutione, ob mortem Thomasi ultimi possessoris, Curia Regia deuoluto, est semper à nobis summopere recolenda, siquidem familiã, quam prius, tyrannica Federici nequitia, & persecutio, ad extrema (sanguinis profusione) deduxerat, mox ex feudorum ut infra deuolutione, protinus collapsa defecisset, ni eius virtute & meritis, reliquos super extantes familiæ (modo siquidem & forma singulari) de eis inuestiri à regis munificentia non promouisset ut infra.

Rogerium prædictum comprobat rescriptum Roberti Regis sub die 20. Septembris 1310. in quo describitur eidem Rogerio Auum extitisse paternum, alterum Rogerium de Morra, a quo Morra Baroniam eidem vii (ex filio) nepoti obuennisse, et agitur in prædicto rescripto, de recuperatione Casalis Sancti Bartholomei de Baronia prædicta, ab alijs indebitè occupati, ut in eolatus est videre infra ad verbum.

Rogerium istum ex Francisco genitum fuisse, liquet etiam ex alio rescripto eiusdem Roberti existente in fasciculo signato nu. 28. fol. 41. a ter. quod hic inserendum censui, ut infra.

Scriptum est Justitiario Principatus, ut supplicauit Nobis Rogerius

rius de Morra primogenitus, & heres quond. Domini Francisci de Morra Militis, ut cum mortuo dudū Rogerio de Morra Milite, olim paterno auo ipsius asserens eum nullis superstitibus legitimis filijs decessisse, se que fore ipsius heredem, & legitimum successorem, iure francorum uiuentem, & quod de iure succedit eidem, in Terra quam dictus quondam Auus suus præmortuo patre suo dum vixit tenuit, & possedit in decreta vobis Prouincia sub Dño Comite Marsicense, & insuper in Terra, quam tenuit in capite à Regia Curia ibidem, ipseque, ex successione auita, se asserat possidere, asscurari eum, iuxta Regni consuetudinem mandaremus, itaque, de successione præfata plene curiæ nostræ constituto dictus Rogerius nobis fidelitatis iuramentum, & releuium debitum unciarum auri decem medietatem valoris annui de Terra prædicta, quam tenet à Curia valere comperita, et alterius Terræ in decreta vobis Prouincia, soluto per eundem Rogerium dicto Domino Comiti Marsicensi pro his, quæ ab eo tenet statuto releuio, eidem Rogerio à dictis Vassallis suis, iuxta Regni consuetudinem asscurationis debite sacramenta præstari faciatis, & responderi de omnibus consuetis. Datum Bari per Nicolaum Fricziam de Rauello die 17. Junij decime Indictionis.

Et quia in eo non est appositus annus, sed tantum indictio decima cum Robertus regnare cœperit anno 1310. indictione 2. cadit tempus rescripti prædicti in anno 1318. pauloque post decessit iste Rogerius decesseruntque alij, quos idem Robertus recoluit in restitutione status Goffrido de anno 1321. de qua infra.

De hoc eodem Rogerio aliæ habentur memoriæ nempe una de anno 1311. ex qua percipitur quod à Roberto Rege pluribus proceribus per Regni prouincias destinatis ad milites deligendos, inter eos prædictum Rogerium in Prouincia Principatus destinatum fuisse, habetur in Registro eiusdem Regis prædicti anni 1311. litera O fol. 60. à ter. Altera de anno 1315. in qua habetur eundem Rogerium Capitaneum armorum, siue ad guerram, destinatum fuisse in Ciuitate Seminariæ ab eodem Rege, ut in Registro dicti anni 1315. lit. B. fol. 117. à ter. quas et hic annexere volui, licet infra inter alias describentur, ut clare habe-

babeatur iste Rogerius secundus, & ex propinquitate aliorum
duorum s. primum eius Axi et tertij eius nepotis multi se dece-
perunt in computatione numerando tantum duos, primum s.
& tertium.

Rogero de Morra sicut, & alijs hic nominatis mandatur de-
scriptio militum in prouincijs facienda.



Criptum est Thomasio de Marzano Regni Sici-
lie Marefcallo Consiliario, & Guglielmo de
Ebulo Regio Marefcallo Magistro Militibus
familiaribus, & fidelis suis, &c. Scripsimus vobis
de proximo, & spetiales literas subnexæ continen-
tia post salutem. Sic de Sicilia Regni nostri fidelibus, est no-
bis certa fiducia, ut de ipsis, tanquam electis, & approbatis in
fide, ac deuotionis obsecutione sinceris, et diuturna experien-
tia confidamus, per quod domestica deliberatione prouidimus,
viros probos, electos, & strenuos de ipso Regno trahentes origi-
nem, pro ipsius defensione, cum expedit, & alijs incumben-
tibus nobis negotijs, in obsequijs nostris habere continuos, ut nobis
ex ipsis securitatis auxilia sperata perueniant, & eis ex benefi-
cio nostro domestica familiaritas, et premia fructuosa contin-
gant. Quocirca fidelitati vestre pntium auctoritate manda-
mus, quatenus intra claustra pectoris sollicita meditatione
pensantes, & librantes actentè conditionem, & statum homi-
num Regionis Terræ laboris, & Comitatus Molisij, omnes vi-
ros probos electos, & approbatos in armis, nec non aptos ad
illa, in unius quaterni serie describentes, tam feudatarios, quã
nec Feuda tenentes, ipsorum nomina, et cognomina, conditio-
nem, & statum Excellentia nostre nominaliter, & particu-
lariter describatis, sic quod ipsis postmodum electis ad nostra
seruitia, ut illa oportune aggredi valeant de subsidio congruo,
prout decernemus expediens, nostra prouideat celsitudo. Datum
Neap. per Bartholomeum de Capuam militem logothetam, &
Prothonotarium Regni Siciliae anno Domini millesimo trecen-
tesimo decimo primo, die decimo octauo Ianuarij none indictio-

H nis

nis Regnorum nostrorum anno secundo. Verum ne circa literarum ipsarum seriem, vobis anfractus, aliquis dubitationis emergat. declaramus tenore pñtium, quod intentionis est nostra, ut ipsa gens eligenda per vos sit centenarij, & quinquagenarij numeri, & equestris illius conditionis, & status, qui in in dictis prioribus literis declarantur, & ut ipsi centū, & quinquaginta numero eligendi per vos ad nostra seruitia, cum tempus, et locus affuerit, habiles se inueniant, & paratos pro parte nostra proponatis eisdem, quod quilibet ipsorum centum quinquaginta numero, postquam per Curiam nostrā fuerint approbati, habebit illa vice quinque uncias à curia nostra prefata pro adiumento, seu subsidio, et sex uncias auri anno quolibet etiam in sua domo permanens, & si equum et arma perdidit naturali morte, vel alio casu fortuito, de medietate ipsius equi fiet sibi emenda per dictam curiam, et de reliqua medietate per societatem centenarij, & quinquagenarij numeri supradicti, cum vero centum quinquaginta numero predicti, vel aliqui ex eisdem erunt in ipsis nostris seruitijs, habebunt integra gagia exhibenda per eandem curiam consueta, & emendam equorum secundum estimationem rationabilem integraliter recipient, à curia memorata. Datum Neap. per eundem Bartholomeum de Capua Militem, etc. Anno Domini 1311. die 22. Februarij none ind. Regnorum nostrorum anno secundo.

Eodem die ibidem similes factæ sunt Henrico de Sancto Seuerino familiari. Rogerio de Sancto Vincentio, & Rogerio de Morra Militibus fidelibus suis in Regionem Principatus, et Basilicate de centenario numero.

In Registro Regis Roberti signato 1311. litera O
fol. 70. a ter.

Rogerus de Morra Capitaneus ad Guerram, & ad Iustitiam in Ciuitate Seminarie Anno 1315.



Roberius etc. Rogerio de Morra Militi familiari, et fideli suo etc. Cum certa causa necessaria suadente, te de cuius sufficientia, & legalitate confidimus Capitaneum Terræ Seminarie prouiderimus statuendum. Volentes q̄ pro ipsius Terræ custodia, tecum ibi retineas equites decem de quibus inueniendis, & eligendis alias tibi scripsimus sicut nosti, et pedites sexaginta, fidelitati tue mandamus expresse, quatenus statim omni mora postposita, cum ipsis equitibus decem, armis, & equis decenter munitis, ad nostram curiam debeas te conferre, hic enim dabuntur tibi predicti seruiantes pedites, ac pecunia pro tuis et dictæ gentis gagijs oportuna. Datum Neap. Anno Domini 1315. die ultimo Nouembris, decimæ quartæ indict. Regnorum nostrorum anno septimo.

In Reg. Regis Roberti signato 1315. litera B. fol. 117. a ter.

Hunc Rogerium mortuum fuisse demum ante annum 1321. percipitur ex priuilegio restitutionis Status in personam Goffredi ab eodem Rege anno predicto, ut infra.

De Goffrido secundogenito Francisci, fratrequè Rogerij habetur in eodem priuilegio restitutionis status eidem factæ per Robertum in anno 1321. quem similiter prædefunctum affirmat, ubi etiam Isabellam sororem ipsorum fuisse testatur.

Rogerus quem secundum in ordine diximus, uxorem habuit Dominam Goffredinam de Monticulo, ita denominatur à Carolo Illustri Roberti filio Regni Vicario in anno 1321. in registro signato 1320. litera C. fol. 61. quam matrem Goffredi tunc uiuentis enunciat.

Erat Monticulorū gens in Italia, ea tempestate et ab anno præsertim 1200. genere insignis, opibus, ditione, & authoritate præpotens, ut quæ Veronæ habenas plurimis annis regēs Gibellinæ factionis Principatum obtinebat, finitimas Regiones, & Prouincias, vel subiectas vel formidantes reddiderat, ex ea nempe Ezelinus ille Romanus (tam Italiæ insensus) fuit adeo viribus suffultus & adiutus, ut pene totas Gallias Romandiolamq̄
sub.

subuerteret, eiusq; subigeret ditioni; Monticulos præpotentes, antiquitatis genere & ditione claros, belligeros strenuosq;, ac quietis nescios, vocat Bonifacius in sua Historia Taruifana lib. 4. & ante eum Sigonius in sua Historia de Regno Italia lib. 15. et 17. dum de gestis Federici agit circa annum 1228. Idem inter antiquæ nobilitatis Italia præclaras familias quas studio congeffit, Monticulorum istam recenset, in Historiarum suarum appendice & lucubrato epithome, & ante Sigonium plura ex Cronica Monac. Paduan. post Othonem Frisigen. de gestis Federici lib. 1. & 2. Ex horum genere ortum Goffredinam duxisse non leuiter arbitratus, cum recens Iacobi memoria eiusq; Præsidatus in illis partibus grata habebatur, & illustris, fors anq; eiusdē Iacobi uxor ex eodē prodiua stemate inter utranq; familiã nexū inchoauerat, nec Carolus Goffredinam ipsam Dominam appellasset, nisi generis proprii splendor illam decoram redderet, illoq; honorifico titulo dignam nō existimasset. Ex ista Goffredina quatuor filios suscepisse Rogerium, hucusque reperi, Franciscum quem Franzonum pleriq; denominarunt Goffredum, Iacobum, & Henricum, filias itidem habuisse patet ex rescripto prædicto Caroli illustris, quibus mandat dotes de paragio persolui à Goffredo ut infra.

Franciscus secundus siue Franzonus ex Rogasia uxore similiter in eodem Caroli illustris rescripto denominata filios suscepit Rogerium, seu Rogeronum, sic enim à plerisq; uel ex vasto corpore, uel uirium robore nuncupatum legimus, et Thomassium, seu Thomassellum.

Rogarius siue Rogeronus (in ordine tertius) Francisco secundo siue Franzono (patre prædefuncto) Rogerio auo superuienti, in statu successit habetur eius inuestitura cum iuramento subditorū, seu uassallorum asssecuratione in regio. Archiuio in arca fasciculorum fasciculo signato nu. 28. fol. 41. a ter. Eique absq; filijs paulo post decenti, Thomassius frater successit, eoq; similiter nullis relictis liberis defuncto; feuda omnia Reg. Cur. aperta fuerunt; ex quo secundum ius, quod tunc in feudorum successione uigebat in Regno, patruus non admittēbatur ad successionem nepotis, totiusq; status fiscus possessionē nactus, conquerens
Goffri.

Goffrido (prædictorum Rugeroni, & Thomasi) ultimo loco defunctorum patruo) Roberto longe absente, Carolo Illustri filio eius Vices gerente Neapoli, fuit inita quedam transactio inter fiscales Curie, & Goffridum antedictum, ut relaxata plenarie Terra Morrae cum eius iuribus, & Casalibus Regiæ Curie, cætera Castra, feuda, et bona remitterentur Goffrido, cum onere tamen soluendi alijs fratribus, scilicet Iacobo, & Henrico vitam & militiam, necnon & sororibus dotes, ut vocant de paraggio, & prædictæ Domine Goffredine matri, ac Rogasie olim uxori Francisci eius Cognatæ, dotaria quæ eis spectabant, sic enim legitur in rescripto transactionis prædictæ, eiusdem Caroli autoritate firmatæ Neapoli 15. Februarij 1321. extat in registro ipsius signæto 1320 litera C. fol. 61. Sed Regia Roberti munificentia, talem conventionem ad eius aures perlatam non admittens, alio diplomate, Aquis, ut ibi dicitur dato. (quod a nostris omni ere preciosius æstimandum censeo) eodem die quo Neapoli Carolus filius transactionis rescriptum dederat, Robertus pater, Aquis agens, aliud plenissimæ restitutionis, seu concessionis consilauerat, omnium feudorum per Thomasi mortem curiæ apertorum, in personam Goffridi patris, & cum substitutione Iacobi, & Henrici aliorum Goffridi fratrum natu minorum, in casu quod absq; liberis quilibet eorum decederet, causas eximie ac Regalis largitatis expendens, ærummas, calamitates, & iacturas quas domus ipsa, pro Fide, pro Religione, pro Patria, pro communi bono perpessa est, honorum destructione ac denudatione, sanguinis, et vitæ effusione, ferro, fame, aqua, & igne, quibus fere totum ipsum genus consumptum, & extinctum dici poterat, & ad interuersionem deductum, quæ pauci, quos Æquus amavit Iuppiter, à tyranni virgibus exules, longe seruauit, in Carolo ipsius Roberti Aui in Regnum aduentu strenue, & potenter ei famulando, in illius adeptione operati fuerunt, et licet nonnullorum rescriptorum in calce huius libelli exempla reducere cogitem, tamen hic inserendum istud satis dignum putavi, cum eo nostra gens & familia, nec dignius, nec preciosius, nec carius cordibus seruandum habeat.

Inuestitura status concessi per Robertum Regem Goffrido, Iacobo, & Hentico fratribus eorumq; descendantibus anno 1321.



Robertus Dei gratia Rex Hierusalem, & Siciliae, Ducatus Apuleae, & Principatus Capuae, Pro- uinciae, & Forqualquerij, & Pedemontis Comes, uniuersis praesens Priuilegium inspecturis, tam praesentibus, quam futuris. Sublimis Regiae potestatis auctoritas, clara nobilium dignitate perfulgens, non minus agit Reipublicae studia, quam commoditatis causam suscipiat alienae, ut subditorum nobilitas aduersa calamitas, celebris memoriae speciem non obducat: sane Isabellae de Morra fidelis nostrae, domicellae domesticae, familiaris Sanciae consortis nostrae carissimae, Hierusalem, & Siciliae Reginae illustris, luctuosa relatio, viscera pietatis nostrae commouit, quod Rugerium militem, Goffridum de Morra, germanos suos, Franzonum primogenitum ipsius Rugerij, necnon & Rugeronum primogenitum, & Thomassium filios ipsius Franzoni, valetudo morbi molesta corripuens, & egrotantium vires exuperans, mortis fatalitate praevalida, hos omnes modico interuallo temporis, a consortio huius vitae militantis abduxit: superstitibus, eidem Rugerio, alijs genitis, quorum alicui, feudaliu[m] paterna haereditas (velut ad manus nostrae Curiae, per ipsorum Rugerij, & Franzoni, Rogeroni, ac Thomassij obitum rationabiliter deuoluta) de iure aliquatenus non desertur: per quod subsequenter ex munificentia nostra, haereditate huiusmodi ad extraneos deriuata, subessent excidio paupertatis extremae, superstites generis ex antiquitatis stirpe notabiles, longis facultatibus de fluentia nobilitatis instrumenta, deficeret nomen eius in populis, mutato cognomine successoris: Hos igitur ex affectu sincerae charitatis ad subditos, dominicae compassionis humero supportantes, proh dolor tantae miserabilitatis euentu, cuius profecto aculeus, percussit amaritudine istus praecordia, omnium ex ipsorum prosapia defunctorum, & occurrentes clementiae nostrae antidotis, fati vulnere sauciatis, assistentiae nostrae palma, occiduum cogitamus erigere ipsum genus
Mor-

Morrae ne decidat, ut veteribus per eius lineam ductis di-
 uitijs, quæ organa sunt virtutis, sua nobilitas antiquata
 refloreat, eius uiuat memoria, & præ eminentia nostræ
 serenitatis excrescat; circa quod potissime, illud nobilitatis
 meritum, monumeneo redigimus, nostræ quodammodo gra-
 titudinis inductiuum; quod sicut veridica seniorum asser-
 tione didicimus, ex progenitoribus defunctorum ipsorum,
 plerique quondam Federici Romanorum Imperatoris, &
 successorum eius, contra Sanctam Romanam Matrem
 Ecclesiam, errorem delirantis præfidie abiurantes, qui-
 dam scilicet exorbati sunt oculis, quidam igneis flammis
 extincti. Quidam alterius piacularis supplicij vario gene-
 re tyrannica seuiente nequitia trucidati; Quidam vero,
 quos incolumes humanæ fortis arbitrium reseruauit, diu
 extra Regnum à dulcore natalium, exules, & diuæ memo-
 riæ Domino Auo nostro prouide adherentes, astiterunt si-
 bi fideliter, & potenter, de ipsius Regni adeptione felici,
 deuictis hostibus triumphanti: præstita insuper dicto domi-
 no patri nostro subsequenter, & nobis per ipsos maxime,
 quondam Rogerium, & Franzonum, grata (tempore
 turbinis, & quietis) obsequia, duraturis nostræ perenni-
 tatis affatibus recensentes, adducimus ad nostræ considera-
 tionis aspectum, placida seruitiorum merita, quæ Isabella
 eadem nobis dudum præstitit, & ad præsens præstat, & præ-
 stare poterit dante Domino successiue, præsertim in eius-
 dem nostræ Coniugis comitiua, nec minus etiam speramus
 verisimiliter, quod præsens quondam Rogerij prædicti poste-
 ritas, & futura posteritatis huiusmodi soboles, in cultu con-
 tinuato deuotionis, & fidei, quatenus præterita innuunt
 laudata parentum insignia præseruabunt; Itaque Castra
 Morrae, Casellarum, Rocce Gloriose, sita in Prouincia
 Principatus, aliaque Castra, siue loca, & bona feudalia,
 quæ ipse quondam Rugerius in capite, ab eadem nostra
 Curia in dicto Regno nostro Siciliae tenuit, donec vixit,
 cum hominibus, & vassallis, redditibus, seruitijs, casali-
 bus, fortellitijs, domibus possessionibus vineis, terris cultis,
 et in-

et in culis planis, montibus, pratis, nemoribus, pascuis
 molendinis, aquis, aquarumque decursibus, tenementis, terri-
 torijs, alijsq; iuribus, iurisdictionibus, actionibus, et perti-
 nentijs eorum omnibus, quæ scilicet de demanio in demanium,
 et quæ de seruitio in seruitium, pro reddito annuo, quem per
 inquisitionem, de mandato prædictæ Curie faciendam, legiti-
 me fuerint valere comperta, Goffrido de Morra secundogeni-
 to prædicti quondam Rogerij, si est laicus, atq; idoneus, et eius
 heredibus utriusq; sexus ex suo corpore legitime descendenti-
 bus natis, et in antea nascituris, et in eius defectu, aut per ipsius
 obitum sine dictis heredibus, Iacobo de Morra, et subsequenter
 Henrico de Morra fratribus, similiter præfati quondam Ro-
 gerij filijs, à partibus istis absentibus, et cuiuscumque ipso-
 rum heredibus utriusque sexus, et suo corpore legitime descen-
 dentibus natis, et etiam in antea nascituris, ex quibus quidem
 prænominatis fratribus, per etatis lineam superstes, frater, aut
 dicti eius heredes, præmorienti fratri, absque legitimis filijs,
 immediate succedat in perpetuum, damus, donamus, tradi-
 mus, et ex causa donationis proprii motus, et instinctus de
 nouo concedimus, in feudum nobile, de liberalitate mera, et
 certa scientia, et gratia speciali, iuxta usum, et consuetu-
 dinem dicti Regni nostri Siciliae, ac generalis, et humane pa-
 ternæ sanctionis editum, de feudorum successione, et in
 fauorem Comitum, et Baronum omnium dicti Regni à tem-
 pore felicitis aduentus dicti Aui nostri in ipsum; Comitatus, Ba-
 ronias, et feuda ibi ex perpetua collatione teneri, iuxta factum
 dudum per ipsum Dominum Patrem nostrum, et in Parla-
 mento celebrato Neap. divulgatum. Non obstante quacumq;
 generali, aut speciali, tacita, vel expressa donatione, seu con-
 cessione per nos, aut generalem dicti Regni Vicarium iam fa-
 cta, vel de cætero facienda, sub cuiuscumq; contradictionis ob-
 stantibus, præcisa instantia, vel expressione curiose uallatio-
 nis adiectæ, etiam si expediret, illam contra expressum eius te-
 norem, mentem similiter, siue sensum pagine huius contextus,
 seriosius annotari, per quam Castra Morrae, Casellarum,
 Rocce de Gloriosa; Aliaq; Castra, siue loca, et bona feudalia
 eadem,

eadem aliqua, vel aliquod eorundem, alicui debeantur, aut possessio, dominium, ius aliquod siue proprietas competat, vel acquiratur in illis, etiam si per dictam nostram Curiam tradita, vel alias inde apprehensa foret possessio corporalis, quam censemus de ipsa certa scientia, nullam, iuris, & efficaciam vacuam, & de possessoris manibus reuocandam, quæ quidem Castra, siue loca, & bona feudalia, a donatione seu concessione huiusmodi, signanter excipimus, & exceptuata de propria certa scientia prorsus censeremus decernimus, declaramus, volumus pariter, & iubemus, & acta nihilominus contra presentem nostram celsitudinis gratiam, donationem, seu concessionem, ipsa reuocamus, irritamus, cassamus, vacuamus, annullamus penitus, & ex huius nostra authoritate decreti nullius esse sancimus roboris vel momenti; nec etiam circa hæc obstantes præterea lege, seu constitutione quacumque contraria, quam in hac parte de eadem certa scientia tollimus, & eius vigorem iuribus, & efficaciam vacuamus omnino, de potestate nostri culminis principali, cum nunquam intellexerit mentis nostræ iudicium, aut intelligat, prædicta Castra, siue loca, & feudalia bona eadem, cuicumque concedere, ut ex completato ipsius, causa molestæ depauperationis ingesta, cogantur (producti ab antiquo de Morra in genui nostri, tam subditi nobiles) mendicare. Absit enim a felicibus regiminis nostri auspicijs, tantæ infelicitatis acerbitas, ut ex subtractione conuictus, qui etiam de promptuarij nostri ubertate requiritur, dissoluatur, & pereat, istius præsertim Generosæ Domus Ornata Congeries, & sine vitio criminis, illi fiant alienæ subventionis indigni, qui merentur esse patrimoniali substantia copiosi, aut similiter non obstante postremo de Castris siue locis, et bonis ipsis feudalibus, aliquibus, vel alio eorundem habita conuentione, pactione, aut transactione iam facta, vel alienationis quandocumque celebrato commercio, vel contractu, sub quouis titulo, denominatione, specie, vel figura inter dictam nostram Curiam, siue officiales ipsius, vel quoscumque priuatos, unum aut plures, & aliquem ex superstitionibus dicti quondam Rogerij filijs, etiam si id nosster, aut præfatus generalis in Regno Vicarius, contra nostrum siquidem (prænarrata confi-

K

deratio-

deratione) propositum, assensus accessit, & siue ipsa nostra Curia, siue ipsi priuati, quantumcumque bene meriti censeantur, etiam si possessionem inde adepti fuerint corporalem, quam profecto conuentionem, pactionem, transactionem, seu cuiusuis alienationis, ipsum commercium, vel contractum, de predicta nostra scientia reuocamus, rescindimus, irritamus, cassamus, vacuamus, annullamus, ipsosq; decernimus, & declaramus reuocatos, omnino rescissos, irritos, cassos, totaliter vacuos, atq; nullos, & eos nullo fulcimento, vigore, aut aliqua persistere firmitate: Decernentes nihilominus, declarantes, & iubentes expresse, præcaptam possessionem, cum fructibus mediæ temporis, reuocandam fore quam citius, de manibus eiusdem Curie, seu cuiuslibet possidentis, & prorsus reducendam ad manus illius ex memoratis donatarijs nostris, ad quem (primo dirigitur largitatis nostræ benignitas, quæ præfertur: Non obstante qualibet lege, seu constitutione contraria fauente predictis conuentioni, pactioni, transactioni, alienationi, commercio, siue contractui, quam ad præsens sicut & ceteras præfatas alias leges, & constitutiones huic æquitati nostræ beneuolæ forsitan aduersantes, similiter de predicta certa nostra scientia tollendo auferimus, eius vires elidimus, et præeminentis arbitrio ipsius efficaciam inanimus, cum & hoc utiliter Reipublicæ statui euidenter expedit, Castrorum siue locorum, & eorundem bonorum feudalium de Morrense Domo radicatorum, & iam prouectorum, ubi plantantium sanguine potius, quam sudore honorem Dominus est subsequutus, hæreditarios fructus consensu nostro nullatenus egredi, & illa patens ratio indicet, ad cognationem gentis extraneæ non transferri, siquidem sanxit prouida legum editio, non lædi ius publicum pactionibus priuatorum, ita tamen quod dictus Goffridus, vel Iacobus, aut Henricus, et ipsi eius heredes, pro dictis Castris, seu locis, & bonis alijs, nobis, nostrisq; in dicto Regno heredibus, & successoribus seruire teneantur immediate, & in capite de seruitio prouide contingente, ad rationem de untijs auri viginti, valoris annui pro quolibet integro seruitio militari, computata persona sua, quod est de usu, & consuetudine dicti Regni, quod serui-

*seruitium præfati fratres pro se, ac dictis ipsorum heredibus
 & successoribus integre, & sine diminutione aliqua faciant, et
 præstabunt, inuestientes prænominatam Isabellam nomine
 iam dictorum Goffridi, Jacobi, & Henrici per anulum nostrum,
 præmissis modo, de Castris, seu locis, & bonis alijs supradictis,
 ut inde ipsis nostris fidelibus, carentia patrimonij proprii, in-
 commodum non patiatur animus, & ex hoc deniq; serenitatis
 nostræ fastigia clareant, cum beneficijs Principum seruetur
 memoria subditorum, ita quod tam prædictus Goffridus, vel
 Jacobus, & Henricus, quam dicti heredes ipsius Castra, seu
 loca, et bona eadem à nobis, nostrisq; in dicto Regno heredibus,
 & successoribus perpetuo in capite teneant, & possideant, nul-
 lumq; alium præter nos heredes, et successores nostros prædictos
 superiorem, ac Dominum exinde recognoscant, pro quibus qui-
 dem Castris, seu locis, & bonis ab eodem Goffrido, vel Jacobo,
 aut Henrico, propter ipsorum, ut præfertur de partibus istis
 absentiam in manibus Caroli Primogeniti nostri carissimi Ca-
 labria Ducis, et in dicto Regno Sicilia Vicarij Generalis, no-
 mine nostro, ligium homagium, & debitæ fidelitatis præstari
 volumus iuramentum, clausulis, conditionibus, & reseruationi-
 bus omnibus, & singulis, quæ in priuilegij prædictorum
 Dominorum Aui, et Patris nostrorum, ac nostris circa hu-
 iusmodi consueuerunt exprimi, & apponi in præsentis priuile-
 gio intellectis, & habitis pro expressis, saluis & reseruatissimis sem-
 per nobis, ac prædictis nostris heredibus, ac successoribus nostris
 in præmissis Castris, seu locis, et bonis ratione maioris dominij
 prædicti iuribus, quæ Curia nostræ debentur, prout habemus
 ea, & habere debemus in terris Castris, seu locis, & bonis feu-
 dalibus alijs dicti Regni ipsius, maioris dominij ratione, fide-
 litate quoque nostra, præfatis seruitijs nostris, alijs, & cuiuslibet
 alterius iuribus semper saluis: in cuius rei fidem, perpetuamq;
 memoriam, & prædictum Goffridi, Jacobi, & Henrici, et he-
 redum ipsorum cautelam. Præsens priuilegium duplicatum
 fieri, et pendenti sigillo Maiestatis nostræ iussimus communi
 alio consimili sub aurea bulla eiusdem nostræ Maiestatis im-
 pressa, typorio concessa eis propterea ad cautelam: Actum Aquis
 præ-*

presentibus venerabilibus Patribus Ingeranno Archiepiscopo Capuano, Francisco Gayetano, & Guglielmo Putheolano Episcopis Consularijs familiaribus, & fidelibus nostris dilectis, ac pluribus alij, &c. Datum ibidem per manus Magistri Macetei Filimarini de Neap. utriusque Iuris Professoris, Locumtenentis Prothonotarij Regni Siciliae Consularij familiaris, & fidelis nostri, Anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo primo, die quinto decimo Februarij, quartae Indictionis Regnorum nostrorum Anno duodecimo feliciter Amen: Laurentius de Antiniano Registratum in Cancellaria: Prothonotarius.

Extracta est praesens copia à suo originali Priuilegio omnibus supradictis sollempnitatibus roborato in pergamento scripto cum Regi pendente sigillo cere rubae mihi consignato per Dominum Hieronymum de Morra quondam Domini Iacobi, ad hanc fidem, et copiam faciendam, & per me eidem restituto, & quia facta per me collatione concordat cum originali, Ideo ego Notarius Fabritius Paganus de Neap. in fidem in ea me subscripsi, signumq; meum apposui consuetum meliori collatione semper salua etc. Locus signi. Originale istud fuit productum in Sacro Consilio in cuius actis estat copia ex ipso sumpta, & collationata, ad praesens conseruatur originale praedictum penes D. Hieronymum de Morra Junioem, nepotem (ex filio D. Fabritio defuncto) dicti quondam Hieronymi Senioris de quibus infra suo loco.

Ex eo enim satis percipitur ad aures Roberti perlatum fuisse Neapoli apud Carolum eius filium, et Vicarium de transactione agi, quam praevidens, nullam, & inanem dicit, & ex data percipitur eadem die qua Neapoli transactio per Carolum firmabatur eam Aquis per Robertum reuocatam, et annullatam extitisse. Ad stipulatur solutio Adohæ per eundem Goffridum pro omnibus istis terris, castris, & feudis in praedicto Priuilegio nominatis, anno 1230. in Registro eiusdem Roberti eiusdem Anni signato G. fol. 106. à tergo.

Eundem Goffridum, ut in rescripto Roberti de anno 1324. in Registro eiusdem anni littera B. fol. 12. pluribus encomijs fidei, & deuotionis maiorum suorum Robertus delegit in suum fami-

familiarem, & Cambellanum: Et anno 1333. se excusavit Goffridus a baliatu, ei delato Ricciardelli & Henrici Filingery filiorum Francisci Filingery, quam excusationem admisit Robertus, ut in Registro ann. 1332. et seq. fol. 24. a ter.

Goffridus hic fuit Iustitiarius Apuliae extremis temporibus Roberti Regis, ita enim appellatur in rescripto Reginae Ioanna Prima, quae Roberto auo successerat anno 1343. directo Magistris Rationalibus Magnae Curiae ad petitionem Vniuersitatis Turris maioris, ut in Registro eiusdem Ioanna praedictae anno 1343. litera F fol. 32. a ter.

De eodem Goffredo, duo rescripta eiusdem Reginae loquuntur, Alterum de anno 1344. ut in registro eiusdem anni litera B. fol. 146. a ter.

Alterum vero in anno 1345. fol. 59. a ter. in quibus mandatur, ut causa appellationis per Joannem Mansellam interposita a sententia lata in beneficium ipsius Goffridi super Dominio Terrae Roccae Gloriosae, omni mora postposita terminetur.

Anno 1345. assentitur Ioanna Prima emptioni nonnullorum bonorum feudalium factae per dictum Goffridum a Francisco de Iralice alias Ciccono de Policastro in registro eiusdem anni litera B. fol. 18. a tergo.

Anno 1347. similiter assensum praestat, alteri emptioni per eundem Goffridum factae, quorundam bonorum feudalium ab eodem Francisco in registro eiusdem anni sine litera fol. 14.

Hec rescripta Reginae, & assensus poterant nobis suadere, non de suprascripto Goffrido, sed de altero eiusdem nominis eodem tempore existente mentionem fuisse factam, cum in rescripto eiusdem Ioanna supra memorato sub die 4. Ianuarij 1344. in quo assentitur obligationi feudalium pro securitate dotium Ioanna de Beuania indicetur Goffridus iam mortuus, cum in eo enunciatur Rogerius filius quondam Goffridi; sed quia de alio tunc temporis Goffrido nullum aliud habemus indicium, nullaq; sit in memorijs reuolutis sui genitoris mentio, verisimilius erit affirmare illud (quondam) in assensu Ioan-

nae predictae ad fauorem Beuaniae, a quo mors Goffridi esset conijcienda, potius ex errore appositum, quam Goffridi pluralitatem, uno eodemq; tempore admictere; Eoq; magis quod in rescripto Ludouici de anno 1351. dum de Rogerio filio agit, quondam Rogerium appellat, dum de Goffrido Patre loquitur tali non vititur aduerbio, & post rescriptum supra relatum anni 1344. mense Januarij, in quo agitur de Goffrido cum aduerbio quondam (in subsequentibus .s. eiusdem anni mense Octobris, alijsq; duobus sequentis anni, & altero anni 1347. de quibus supra meminimus, de Rogerio ut adhuc uiuens agitur illorumque aliqua ad ipsius elargita preces.

*Isabellam silentio praeferre nefas, notamq; ingratitude incur-
rere mihi viderer, cum nostra familia ei plurimum debeat, opes quae amissas (nostrae nobilitatis, & antiqui splendoris ornamenta) regio testimonio restituendas singulari quadam ratione à Roberto Rege promeruit; genitores habui, Franciscum & Catherinam Sansseuerinam antedictos, ex quibus predicti Rogerius, & Goffridus similiter prodire, quodque fuerat Francisci filia, & Goffredi soror habetur ex rescripto Caroli Illustris anno 1314. in quo mandat in eius Iuribus audiri Thomashum fideiussorem dotium unciarum tercentium ipsius Isabella solutarum Guglielmo San Martino militi, eius primo viro defuncto: Habuit & alterum virum Ermengantum de Lupiano militem, Regium Cambellanum, & familiarem, eoque mortua tertias repetijt nuptias cum Angelo Faragonio milite, Ciuitatis Gaetae Prothontino seu Admirato, habetur ex rescripto Reginae Cianciae inserto in alio eius viri Roberti, in registro anni 1327. & 1328. littera A fol. 37. ubi Regina memorat predictam Isabellam olim suam Domicellam, alias primo loco nupsisse: Mulier, sicuti ingenij praestantia, animiq; fuit virtutibus ornata, ita nuptiarum repetitione atq; infœcunditate, aduersam est experia fortunam, quae semper cum virtute contendere gloriosum sibi duxit; quod autem ad nos attinet Mulier certe dignissima, ut posteri perpetuis eam monumentis, ac veneratione in omnem antiquitatis memoriam prosequantur.*

Nico-

1 *Nicolaus de Morra* hismet temporibus claruisse testatur quodam eiusdem Roberti diploma anno 1331. ex eo nempe percipitur certis ante anni per *Carolus tertium* ipsius Roberti filium tunc Regni Vicarium fuisse ad Brutios regendos pro belli pacisque factis destinatum, dumq; suo incumberebat muneri cum graues inter nobiles, et populares exorta essent dissidia, contentionesq; in Ciuitate Rossani, diutineque fuissent, quae illam ad internecionem redigebant, utraque parte in *Nicolaum* se remicliente, matura determinatione adeo utrisque satisfecit, ut mox extinctis dissidijs, ad pacem, et concordiam certis dispositis utrosque reduxerit, testatur Robertus qui *Nicolai* determinationem perpetuo seruandam statuit, et quae in illa Ciuitate usque hodie custoditur, eumq; vocat Robertus militem Consiliarium, et familiarem ut ex rescripto praedicto habetur in registro eiusdem anni fol. 75. a ter. sed ex quo genitus quosue habuerit successores nos huc usq; latet.

Ex *Goffrido* plures nati sunt filij quorum primus fuit *Rogerus*, secundus *Jacobus* qui ob mortem *Rogery* absq; filijs, locum adeptus est Primogeniti, Tertius fuit *Jannutius*, Quartus *Vitus*, fuit etiam filia *Agnes* de quibus gradatim agemus.

Quod *Rogerus* filius fuerit *Goffridi* Primogenitus fundatur in rescripto Roberti, in registro anni 1339. littera B. fol. 62. a tergo, in quo habem uspraedictum *Rogeryum* filium Primogenitum praedicti *Goffridi*, uxorem habuisse *Ioannellam* de *Castrocucco* filiam militis *Iacobi* de *Castrocucco*, cum dote unciarum auri tercentum.

Item ex alio rescripto *Reginae Ioannae Primae* clare colligitur qd praefatus *Rogerus* *Goffridi* filius mortua *Ioannella* praedicta eius prima uxore, secundo in matrimonium duxerit *Ioannam* de *Beuania* filiam *Egidij* de *Beuania* militis *Magnae Regiae Curiae Magistri Rationalis*, dilecti Consiliarij familiaris, et fidelis nostri, his. n. cum titulis exornat praedicta *Ioanna Prima*, in assensu pro obligatione feudalium *Rogery*, filij praedicti *Goffridi* de *Morra*, pro securitate et restitutione dotium dictae *Ioannae* in reg. eiusdem *Reginae* signato 1343. et 44. lit. F. fol. 52.

Con-

Confirmantur prædicta ex alio Rescripto Ludouici & Ioannæ anno 1351. litera V. fol. 19. a tergo, in quo memoratur matrimonium prædictum, et assensus alias præstitus pro securitate dotium prædictæ Ioannæ, et ex quo feuda, & bona quondam Goffridi intuitu, quod à fide prædicti Ludouici defecisse assereretur fuerant confiscata, et Thomasio de Sancto Seuerino concessa decernitur confiscationem, & concessionem alteri factam de feudis, et bonis prædictis non afficere Ioannam uxorem, nec ei præiudicium inferre pro recuperatione dotium, et iurium dotalium super bonis prædictis.

Hinc euidenter detegitur erronea inscriptio quæ ad pñs legitur in tumulo marmoreo, hac nostra tempestate reducto in Claustro Btati Dominici huius Ciuitatis inter angulum & portã qua è Claustro itur ad Ecclesiam in cuius tegmine est insculpta insignis matrona viduali habitu induta, & à parte anteriori alterius mulieris figura coronam capite gestantis in quo legitur epitaphium sequens.

Hic iacēt corpora Magnificarum mulierum Domine Ioannæ de Beuania relicte quondam Magnifici Viri Rugeroni de Marra Reginalis Cambellanæ Collateralis, & familiaris, quæ obiit anno Domini 1366. die quarta mensis Iulij quartæ Indictionis, cuius anima requiescat in pace.

Et Domine Philippæ de Beuania Consortis Magnifici Viri Domini Cicci Budette de Neap. Militis quæ obiit anno Domini 1362. mensis Nouembris primæ Indictionis quarum animæ requiescant in pace

Quod autem erratum sit in cognominis Rugeroni sculptura, quæ debebat legi de Morra patet apertissime ex prædictis duobus rescriptis in quibus liquido constat Joannam prædictam nupsisse Rugerio de Morra, non de Marra, isque Rogerius Goffridi filius dicitur, qui Dñus erat Terræ Morra, ut ex dictis rescriptis, quæ ad verbum hic describenda censui v.

Ioanna &c. Vniuersis pñtes literas inspecturis, tam pñtibus, quam futuris, &c. legitimis actibus decet annuere Principem, illisque fauere benigne, qui bonum coniugalis copule
sa-

sapiunt, et favori complexus matrimonialis accedunt.

Sane Egidius de Beuania Miles, Magnæ nostræ Curie Magister Rationalis, Dilectus Consiliarius, familiaris, et fidelis noster, nuper Excellentie nostræ supplicavit humiliter, ut cum inter Ioannam eius filiam ex una parte, et Rogerium de Morra (quondam Goffredi de Morra Militis filium) ex altera, matrimonio contracto, et legitime celebrato, præfati Goffridus et Rogerius eius filius pro uncijs auri tercentis, tam in pecunia numerata, quam iocalibus, consistentibus vñ auro, pernis, et alijs ei per ipsum Egidium prædictæ suæ filiæ datis, et exhibitis in dotem, et dotis nomine contemplatione matrimonij supradicti, restituendis eisdem Egidio, et Ioannæ eius filiæ eorumq; hæredibus, in casu quo erit dotium faciendæ restitutio omnia bona eorum feuda, stabilia, burgen-satica, et mobilia ubiq; sistentia ipsis Egidio et Ioannæ eius filiæ pro se et hæredibus eorundem specialiter obligauerint, nostris in ijs Assensu et beneplacito reseruatis, prout hæc et alia in quodam instrumento publico inde confecto dicitur, obligationibus, penis, sacramento renunciationibus, et solemnitatibus alijs communito ponuntur plenius et seriofius contineri, assentire obligationi præactæ, illamque corroborare et confirmare de gratia benignius dignaremur.

Nos igitur fidelium nostrorum apta compendia, illa præcipue, quæ bonum respiciunt fœderis coniugalis benignitate Dominica prosequentes, intuitu quoq; deuotionis, et fidei supplicantis eiusdem huiusmodi supplicationibus inclinati, obligationi præmissæ in quantum partes ipsæ tanguntur, quatenus alias factæ sunt prouide, nec mutata natura feudi, non obstante quod super bonis feudalibus processisse noscantur, veris quidem existentibus prænarratis, de consilio et assensu Inclitæ Dñæ Sancie Dei gratia Hierusalem, et Siciliæ Reginæ Reuerendæ matris, Administratricis et Gubernatricis nostræ, et aliorum Gubernatorum et Administratorum nostrorum, assentimus harum serie de certa nostra sciencia, illaq; de speciali gratia ratificamus et acceptamus, ac confirmationis nostræ præsidio communimus, volentes et decernentes

M

tes

tes expresse, quod nostri huiusmodi assensus, & confirmatio eidem Egidio, & Ioanna eius filia, & eorum heredibus perpetuo, efficaciter & incommutabiliter, sint Reales, fidelitate nostra feudali quoque seruitio pro dictis bonis feudalibus nostre curie debito, nostris alijs et cuiuslibet alterius iuribus semper saluis, in cuius rei testimonium presentes literas fieri, et pendenti excellentiae nostrae sigillo iussimus communiri. Datum Neapoli per Adenulphum Cumanium de Neapoli anno Domini 1344. die 3. Ianuarij 12. indictionis Regnorum nostrorum anno primo.

Sequitur secundum Rescriptum.



V douicus & Ioanna &c. Tenore presentium notum facimus uniuersis harum seriem inspecturis tam presentibus, quam futuris, quod cum moris nostri non sit, alicui gratiam facere in iuris praedictum alieni, declaramus de certa nostra scientia, volumus & mandamus, salua fore Ioannella de Beuania filia Egidij de Beuania militis, magnae nostrae curie Magistri Rationalis, Dilecti Consiliarij, & fidelis nostri, iura sua dotalia, seu uncias trecentas ponderis generalis datas per eam seu alium pro eadem, in dotem et dotis nomine quondam Rogerio de Morra filio Goffridi de Morra militis, viri sui tempore contracti matrimonij inter eos, restituenda in casu soluti matrimonij suprascripti, pro quarum restitutione praedicti pater et filius, obligauerunt se suosque heredes & bona omnia mobilia, & stabilia, burgensatica, & feudalia, seseque mouentia allodialia, cum potestate capiendi tantum de bonis ipsis auctoritate propria, donec sit eidem Ioannella de huiusmodi dote et iuribus integre satisfactum, prout in instrumento publico inde confecto, et patentibus literis Assensus nostri super his praestitis, ponuntur haec & alia latius contineri, ut per concessionem seu donationem factam, nobili viro Thomasio de Sancto Seuerino Dilecto Cambellano & fideli nostro de Castro Morra, alijsque bonis omnibus praedicti Goffridi,

fridi, per prodicionem, & rebellionem ipsius, ad manus nostrae curierationabiliter deuolutis, certo modo per patens nostrum Priuilegium inde datum, seu cuicumq; alteri de bonis praedicti Goffridi, post obligationis praemissae contractum, & assensus nostri praefati literas; ius aliquod forsitan pretendendi debere seu posse praerudicium aliquod continuari, modo suadente Dominicae charitatis officio, nec minus et iustitiae debito nos urgente, dotes ipsas, & iura memorata Joannella, tam super praedicto Castro Morrae, quam super bonis alijs, quae fuerunt quondam praedicti Goffridi ex integro reseruata fore declaramus, atq; decernimus, de ipsa certa nostra scientia iuxta praemissi contractus, seu instrumenti dotalis & literas assensus nostri super his praestiti, continentiam et tenorem, quas in causa receptionis & restitutionis praemissarum dotium, et iurium dotalium, eidem Ioannella, rei dotalis exposcente fauore, iubemus, et volumus de ipsa certa nostra scientia per quosuis magistratus, et officiales nostros ad quos spectauerit efficaciter et irrefragabiliter obseruari, quibuscumque Priuilegij concessionibus, literis ordinationibus, & edictis, siue mandatis fortasse contrarijs quae praesenti declarationi, & iussioni nostrae quo ad praefatas dotes et iura eiusdem Ioannella refragari possent in aliquo, aut incommoda cuiusq; diminutionis asferre factis; vel in antea faciendis, & specialiter Priuilegio donationis eiusdem, factae per nos memorato Thomasio, uelut superius est expressum, etiam si opporueret, & de illis in praesentibus expressionem facere seriosam, non obstantibus quoquo modo, in cuius rei testimonium praedictaeq; Ioannae ac haeredum eius cautelam praesentes nostras declarationis literas exinde fieri, & pendentibus utriusq; maiestatis sigillis iussimus communiti. Datum Neapoli per Sergium Dominum Vrsonis anno Domini 1351. die primo Augusti quartae indict. Regnorum etc.

Extracta est p̄s copia a supradicto originali registrato anni 1352. littera F. fol. 19. a tergo, quod conseruatur in Archiuo Magnae Regiae Curiae Siculae Neapolis, cum quo facta collatione concordat meliori semper salua, & in fidem infra scriptus

plus *Magnificus Decius Conterius V. I. D. Regius Archi-*
uarius, hic se subscripsit, & sigillum consuetum apposuit.

Neap. die 12. mensis Iulij 1616.

Decius Conterius locus sigilli.

Fateor tamen in Registro huius ultimi Rescripti, ubi legitur Ro-
gerij de Morra filij quondam Goffridi de Morra videri
mutilam aut detritam literam O. & dilutiori atramento de-
lineatam, quod certe posset dubiam reddere veritatem, nisi
haberemus precedens rescriptum anni 1343. ubi præstatur
assensus pro dotium securitate Joannæ quem in hoc secundo
rescripto anni 1351. asseritur alias fuisse præstitum in quo
literæ nominis & cognominis Rogerij, & Goffredi de Morra
manent incorruptæ, absque aliqua adulterationis seu vitij su-
spicione, idq; clarius suadetur, quia oppidum Morra in cu-
ius obligatione inter cætera præstatur assensus, dicitur in pre-
dictis rescriptis fuisse Goffridi Rogerij Patris ut erat vere, &
tamen qui ex familia sunt Marra, ne somniabunt quidem
illius terræ ditionem ad maiorum suorum quemquam perti-
nuisse sicut neq; Rugerono de Marra patrem fuisse Goffridum
eoq; magis quod ijdem Domini de Marra eorum cuiusdam
Rugeroni Patrem assignant, ut audio, Nicolaum.

Nec quenquam mouere debet Rugerij et Rugeroni nominis va-
rietas, quod licet unum idemq; sit, varias tamen sortitur in-
flexiones ut supra in Rugerij seu Rugeroni, Francisci seu
Franzoni filio retulimus, cum Rogerij nomen in Rugerenū
ab aliquibus mutatum habeamus, vel ob proceritatem cor-
poris, vel ob rerum gestarum magnitudinem.

Et certe Dominis de Marra necessarium esset aliquid ex his tri-
bus aperte probare, ut eius sepulcri ius ex Ioanna in eam
familiam ostendatur legitime demanasse, vel Rugeronum de
Marra filium fuisse Goffridi de Marra, qui Morram oppi-
dum sub ditione habuerit, vel duas fuisse Ioannas, quarum
utraq; habuerit Patrem Egidium, utrumq; Magistrum Ra-
tionalem, & cætera, ut in eius denominatione, tam in dictis
Rescriptis, quam in tumulo describitur, quod est pene impos-
sibile,

sibile, vel tertio post Rogerium de Morra, Ioannam alium habuisse virum Rugeronum de Marra: Alioquin certe in sepulcro illo nihil habet iuris familia Marra.

Quodq; illa fuerit Ioanna Egidij filia, de qua loquuntur diplomata superius allata, comprobatur ex (alterius tumuli, eminentiori loco positi, ubi Egidij ossa quiescunt) inscriptione ut supra.

Hic iacet corpus Magnifici Viri Domini Aegidij de Beuania, Militis Magnæ Regiæ & Reginalis Curiaë Magistri Rationalis, qui obiit anno Domini 1353. die 23. Aprilis tertie Indictionis, cuius anima requiescat in pace. Amen.

Sed quomodo ista descriptio in talem errorem irrepserit, plurimū diūq; examinando eo deueni, quod sepulcrum id annis ab his ducentis ac sexaginta est extructum, & non in loco ubi reperitur, sed alibi positū fuisse, non est qui ambigat, & sicuti accidere solet, seu temporis iniuria, seu forte ac casu aliquo tegumen sepulcri corrosum, figuræq; characterum pene consumptæ fuere, nomen præsertim Rugerij, et cognomen de Morra ex parte lacera extiterūt, adeo ut dubiū redderent, an Marra, an Morra designarent, aliquis forsan pluribus ab hinc annis vel ex ipsa Marra familia, ut illius potius, quam veritatis, amator, et assecla, ab rasīs reliquijs antiquæ inscriptionis nouā extrussit ad veterū characterē exemplar, et ut epitaphij parti alteri, quæ in tumulo remanebat respondere videretur, quod diligentis artificij opera, & industria ita factum est, ut sine maxima oculorū, et perspicaci indagatōne, præsertim ad quasdam rimulas quæ à capite, & calce characterum percipiuntur recentiores dignosci nulla ratione possent, nec vitium apparēs in Rescripto Ludouici et Ioannæ supra relato alicuius erit momēti, cū certe nō à nostris factū, sed tantum in eadem figura, o, nouum atramentū aspersum, incertū cuius opera, aut quid ille sibi ex hac arte poposcerit, certum est in eodem Registro superius inferiusq; semper Morrā legi, & adesse præcedens Rescriptum Regiæ assensus præstantis, annis nouem ante, in quem nulla vitij labes, ac ne suspicio quidem irrepserit. Et vere quæ ista Isabella soror Goffridi, fuerit de Morra, non aut de Marra, habetur præter prædictum Rescriptum in priuilegio restitutionis status factæ per Robertum eadem instante Isabella, illis-

met

met fere temporibus, habemus etiam *Isabellam prædictam* primo nuptam in rescripto *Reginæ Ciancia*, in alio eiusdem *Roberti* inserto de quo supra, et in familia de *Marra* non video quomodo illis temporibus esse possit *Franciscus* pater cum duobus filiis *Goffrido* et *Isabella*, addo non *Goffridum* tantum fratrem habuisse *Isabellam*, sed et *Ruggerium* secundum maiorem natu qui statui successit alteri *Ruggerio* auo, cum *Franciscus* pater antea defunctus fuisset, et in *Priuilegio Roberti*, fratres *Isabelle* denominantur *Ruggerius* et *Goffridus*, Hæc exempli gratia dixisse sufficiant.

Sed ut ad *Ioannæ de Beuania* sepulcrum unde discesserat, tandem reuerteretur oratio, Vt omnis tollatur ambigendi locus, et euidenter appareat qui longe post tempora irrepsit error in inscriptione prædicta, habemus aliud rescriptum *Reginæ Ioannæ Primæ* quæ *Jacobo de Morra* qui *Goffrido Patri* in statu successerat, relaxat medietatem adobe intuitu damnorum ex præcedentibus bellis passorum, et oneris cui reperiebatur obnoxius, restituendarum dotium prædictæ *Ioannæ de Beuania*, extat rescriptum de anno 1362. in *Registro* fol. et habetur ad uerbum infra suo loco.

Ex his denique adeo clare comprobatis, facile mihi suadeo nobiles de *Marra*, cum generis splendore et auita ac per antiquata maiorum rerum per eos gestarum gloria splendeant, itaque micent, ut aliena non egeant, veritatem quæ tandiu eos latuit ita prospecta sepulcri ius cineres manesque *Ioannæ* suo *Ruggerio de Morra* viro nostræque familie cui de iure debentur non ægre dimissuros.

Sed tandem ad id quod de prodicione et rebellionem *Goffridi* secundum diploma innuit, nostra denuo reuocetur oratio ut a maioribus nostris, nostraq; familia omnis macule nota cenceatur absterfa, de his loquitur secundum diploma prædictum anni 1351. sub nominibus *Ludouici* et *Ioannæ*, quo tempore *Ludouicus Rex Vngariæ* magnis copijs in *Italiam* descenderat, ad Regni inuasionem, ulturus necem *Andræ* fratris, cui cum primū *Ioanna* nupsisset, hoc è viuis violenter sublato *Tarenti Principem* sibi iunxerat *Ludouicum*, qui cum *Ioanna*
uxore

uxore furorem & vires Vngari formidans e Regno pene de-
 stituto anno 1348. discedens narbonem se receperat, quo fit
 illud absque belli discrimine in Vngari ditionem perue-
 nit, qui biennium eo potitus, illud Clementis Sexti authorita-
 te intercedente, Reginae restituit, ea inter alias lege ut omni-
 bus feudatarijs eidem reconciliatis ablata bona restituenda
 curaret, in cuius reditu omnes Regni Proceres, Barones, &
 feudatarios, ut qui sponte illam receperant sibi conciliauit, in-
 terq; alios nostrum Goffredum qui ut infra de Iacobo secundo,
 Goffridi filio tractabimus, clarissime apparebit nunquam inte-
 rea feudorum suorū possessionem dimiserat reuersaq; Ioanna
 anno 1352. cum eodē Ludouico Regni coronam susceperunt.
 Rogerius ante Goffredum Patrem, vita functus est cum neu-
 tra ab uxore liberos suscepisset, post quem Iacobus secundus
 filius prædicti Goffridi locum Primogeniti adeptus est, Iaco-
 bus inquam mortuo Goffrido anno 1369. professus se filium
 Primogenitum, heredem, legitimumq; ipsius in feudalibus suc-
 cessorem, ab eadem Regina Joanna obtinuit literas pro secu-
 ritate oppidanorum Terræ Morræ in qua asseritur Goffrido
 Patri successisse, ut ex rescripto eiusdem Reginae anno 1369.
 die 21. Aprilis, quod reperitur in processu Hieronymi senioris
 cum Platea Capuana penes Actuarium de Caro, hodie de
 Felice fol. & habebitur infra ad verbum suo loco.
 Goffridus præter Rogerium & Iacobum prædictum alios ha-
 buit filios, scilicet Ioannutium et Agnetem.
 Meminit Ioannutij Ioannes Franciscus de Rubéis in sua Hi-
 storia Italiae, qui cum fratrem Iacobi appellat anno 1369.
 Et in compendiolo fragmentorum familiae, quod erat penes
 eundem Hieronymum seniore, ab eodem Ioannutium, Iaco-
 bi fratrem descriptum habemus.
 Agnes nupsit primo Paulo Deodato Beneuentano, de quo usque
 modo nil certi habetur sic legitur in fragmentis antiquis ma-
 nuscriptis anno 1364. et in serie arboris ab hinc annis fere
 centum in Sacro Consilio producto, ubi refertur etiam secundo
 loco nupsisse Nicolao Caracciolo Russo dicto Catapano, cum
 dote mille florenorum de auro anno 1308. quod roboratur per
 instru-

instrumentum dotale in actis Sacri Consilij productum fol. stipulatum per notarium Ciccum Starola de Neapoli in quo vocantur Coniuges Dñus Nicolaus, & Domina Agnes, et pro testibus interfuerunt inter ceteros, Dominus frater Ciccus Caracciolus Prior Capuæ & quāplures alij Domini, eiusdem familiae Caracciola de Latro, de Zurolo, de Loffredo, & Piscicellis.

Vitum de Morra hic inserendum censui quem eiusdem Goffridi filium temporum insinuat supputatio, sed id affirmare non audeo, de eo tantū compertum habeo, quod Scipio Mazzella tradidit in opusculo, in quo vitas Regum Neap. Collegit in vitamq; Ioannæ Primæ, virum ipsum strenuum & nobilissimum Ducem appellat, dum de aduentu Caroli Tertij ad Regni inuasionem agit, aitq; anno 1381. acre commissum prælium inter Oibonem Reginae virum, & Carolum, prope mœnia Ciuitatis, ubi utrinque fortiter dimicatum. Tandem victoria potitus Carolus, captiuum fecit Oibonem, unaq; secum septem nobilissimos belli Duces, eorumq; nomina recenset hoc ordine, Censonus Ruffus Magnus Regni Admiratus, Caesarinus de Bautio, Robertus Gaetanus, Pitrinus Gesualdus, Sighibertus Bernandus, Vitus Morra, & Ioannes de Aquino, nec de eo ad nos aliud usq; modo peruentum.

Redeo ad Jacobum, qui Patri Goffrido ut supra diximus successerat in Morra Dynastia, & alijs feudis viuenteq; Patre uxorem acceperat nobilem mulierem Cubellam de Brussano, à qua in dotem pridem habuisse arbitratus Baroniam Terræ Sancti Seuerini, & Casalium prope Camarotam, siquidē ante actis temporibus nulla, ditionis huius in nostram familiam traducta, habeatur memoria, sed Ioannæ Secundæ diploma de anno 1427. nuper ex archiuorum Regionum perlustratione compertum, infra suo loco transcribendum, ad Baroniam prædictæ confirmationis, in personam Jacobi Francisci filij conflatum; illam maiores nostros satis ante retroactis temporibus possedisse, & à tempore cuius initium memoria nullatenus extitisse testatur. Matrimonium prædictum comprobatur mandatum procurationis eiusdem Cubellæ in personā

dicti Iacobi eius viri anno 1369. quod extat in processu Sacri Consilij sepius citato fol: in quo denominatur Iacobus Dominus Terrarum Morrae, & Sancti Seuerini de Camarota.

Graue Iacobus his temporibus, ac proinde nostra successiue familia, perpeffus est iacturam, nam mortua Ioanna quae Ludouicum Andegauensem sibi in filium adoptiuum, et in Regem successorem delegerat (ut saltem Carolo iam Regni possessori pacem perturbaret) descendit in Italiam Ludouicus multis copijs ad Regni inuasionem anno 1382. per Regiones Pelignorum, Marucinatorum, Ferentanorum, et Samnitum, quas ense non euaginato in suam ditionem subegit, relicta a dextera Iapygia in Dauniam secessit, ubi Barolum sibi sedem delegit, copiasq; dimisit ad finitimas Regiones depopulandas, ex quibus quaedam Theutonicorum turmae, fluminis Aufidi, quae prope Barolum mari permiscetur, ripam retrorsus ad illius originem persequentes, fere omnes vicos, oppida, castra, illius Regionis circa flumen sita diripuerunt, depopulati sunt, & suo dominio subegerunt inter quae Morram, quae secundo ab anno milliario in altum extollitur a leua, repentino incur-su noctu occuparunt, ut vix Jacobo qui fidem Caroli tunc Regi seruabat, uxore, & filijs seminudis locus fuerit ab hostium manibus occulta fuga se liberandi, relicta omni quam domi habebant suppellectili auro, argento, alijsq; pretiosis ad ipsorum sitim & auaritiam explendam, quod fere accidit initio anni 1383. at Iacobus quidem Carolum adiit, enixeque rogauit, ut ab hostium dominatu vindicatum oppidum sibi redderetur; sed frustra, erat enim Ludouico Carolus ea tempestate viribus impar, & a maiori Regni parte, & Procerum numero destitutus, cumq; mortuo Bigilijs Ludouico siue ex vulneribus in acie acceptis ab Alberico Marliano qui Caroli exercitui summo cum Imperio praerat, ad Barium, ut supra citatus Matthaeus refert, siue, ut ex Ephemeride Ducis Montis Leonis, ex morbo naturali, res Caroli ceperunt se melius habere, adeo ut ad occupandam Vngariam, ad quam inuitabatur, & sollicitabatur per illius Regni Proceres ire non dubi-

dubitauerit, relicta Margarita uxore Generali Regni Vicaria; cum suis copijs, quæ hostibus repellendis operam dabant, Ungariam petijt, ubi & Coronam Regni suscepit, & vitam proditorio ferro immature deposuit, inter hæc Margarita Regina humanissima iacturam Iacobi miserata, & videns Baroniae recuperationem differri, censuit aliquo pacto necessitati Iacobi interim subuenire, eiq; concessit annuas collectas Regiæ Curia debitas ex Baronia Terra Sancti Severini, & Terra Rosfrani, quæ ab eo possidebantur, his tamen fidei encomijs, quæ hic inferere opere precium censui; Sane attempta immensa fidelitatis constantia Iacobi de Morra ipsius Castri Morrae utilis Domini Cambellani, & fidelis nostri dilecti, ac attentis damnis insupportabilibus, quæ ipse Iacobus sustinuit, dando de se alijs virtutis exemplum, regulam & doctrinam, qui firmans & plantans sinceram fidem suam in solido & adamantino lapide, perdidit nouiter dictum suum Castrum Morrae de Prouincia Principatus, ultra Serras Montorij, spoliatus omnibus bonis per hostes amulos et rebellos Regiæ Maiestatis, et nostræ; Hæc Regina, & alia ut ex rescripto edito 20. Decembris 1583. & 18. Martij 1586. quæ similiter in processu Sacri Consilij producta extant fol. 61. & 63. & habentur ad verbum infra.

Subsequitur quedam eiusdem Iacobi protestatio iudicialiter facta, et coram ipsa Regina, ut nemo redimere audeat quoquo modo, a manibus hostium Terram prædictam aliqua data specie recuperandi, vel interim Terram ipsam loco Pignoris detinendi, ex quo hostes ipsos tam stricta obsidione premebat, ut breui temporis interuallo Terram suam absq; aliqua solutione vel opere, recuperare certo speraret, quæ similiter Regina auctoritate roborata, in eodem processu consistit sub data 19. Martij 1586.

Habuit Iacobus ex uxore prædicta duos filios Franciscum, & Clarellam.

Clarellam Iacobus adhuc viuens Pater uxorem dedit Marino Caracciolo Militi Regij Hospitij, nempe Ioannæ Primæ, quæ tunc viuebat, Senescallo, cum dote unciarum 300. certis temporibus

poribus et ratis persolueudarum, ut ex instrumento desuper confecto die 19, Maij 1378. similiter in eodem processu producto fol.

Franciscus Patri Jacobo successit, adiensq; Ladislaum Regem pro restitutione Morræ a Comite Santi Angeli, qui prius hostis Ladislai, ab alijs consocijs hostibus qui Terram prædictam occupauerant, nescio quo pacto, postq; cum Ladislao in gratiam rediuerat retinebat, iubet Ladislaus Magno Regni Iustitiario, ac Regionis, ut re summarie cognita absque figura Iudicij Terram prædictam restituendam curent, restitutumq; in eius possessionem eundem Franciscum, studeant conseruare, ut ex diplomate eiusdem Ladislai anno 1399. die 3. Iulij in Ciuitate Caietæ, quod similiter in actis Sacri Consilij productum reperitur fol.

Quod tamen inefficax fuisse rei euentus comprobauit, siquidem nunquam Francisco, nec alicui ex familia restituta fuit, cum in hanc usq; diem Comitis Sancti Angeli ditioni subdita fuerit, a cuius dynastia tribus tantum millibus passuum distabat: authoritas Comitis tunc talis fuit, ut idem Ladislaus non erubuerit in dicto rescripto eam ita denominare; Et ipso vitio non purgato ad manus Magnifici viri Aurelij de Ianuilla Comitis Sancti Angeli Consiliarij, et fidelis nostri dilecti, tunc dicto hosti nostro fauentis et adherentis, hæc Ladislaus. Ex quibus aperte colligitur Regem, et si Francisco denegare non potuerit ius repetendi bona sua, tamen nihil egisse quod ad rei effectum pertineret. Itaque oppidum hoc quod ab anno conditæ salutis millesimo, nostræ familie dominatum agnouerat ab Ezolino et Roberto sub Normandis Ducibus nam superiorum temporum in Regno memorie non extant, post quadringentos annos fidei seruandæ gratia in alienas manus deuinit. Adhuc tamen tantum vitæ optarem, ut eam in familiam reuersam viderem. An Deus permissurus sit nescio: Alioquin extremo destitutus spiritu, in posteros hoc iuge desiderium figam, ut quæ ob meas noxas mihi superi non indulgent, ipsi Deo fauente perficiant: Cineres tot temporum spatio, honore, et memoria ibidem destituti præclarorum Progenitorum quædammo-

dammodo reuiuiscant, insigniaq; in ea familia renouata, quæ adhuc in portarum aenearum fragmentis illius Castri uisuntur, in quo per tot secula, & natales habuere, & incoluere nostrates, ut Dominus Ferdinandus de Marra Guardia Lombardæ Dominus, quæ à Morra duobus passuum millibus distat, ante paucos menses mihi testatus est, se proprijs oculis uidisse. Hæc exprimere uolui, quibus posterorum, excitetur desiderium, accendantur animi, et ueluti ignitis calcariibus ad illius recuperationem toto concitentur cursu, eoque magis, quod ciues et incolæ adeo ex antiquis eorum prædecessoribus infixam cordi teneant nostrorum memoriam, ut nihil optatius, nihilq; dulcius eorum aures mulcere possit, quam nostri recordatio; spesque aliqua sub familiæ nostræ ditionem iterum reuertendi.

Franciscus hic anno 1404. obtinuit ab eodem Ladislao Inuestituram Castri, & Baronie Sancti Seuerini prope Camerota, & Casalium & est in actis producta.

Idem etiam Franciscus ab eodem Ladislao creatur iuris & militie administrator Ciuitatis Catanzarij, cum facultate assumendi Actuarium & Consultorem ad libitum, anno 1411. eumq; nominat suum Cambellanum fidelem de Sedili Capuane producta in actis Sacri Consilij.

Franciscus hic uiuente Iacobo Patre uxorem duxerat Margaritam filiam militis Marini Pescariae cum dote unciarum 300. pro quarum restitutione, & cautela obligauerat Iacobus sua bona feudalia cum beneplacito Regis Caroli Tertij, cuius tempore matrimonium prædictum est initum anno 1382. ut ex rescripto in Registro eiusdem Caroli anni prædicti fol. 377. à tergo: defunctaq; Margarita secundo nupsit Valentia Capanae militis Antonij filia, qui alias dictus fuit Tregalea, Terræ Bominiæ Domini, ut ex instrumento dotali anno 1394. producto in processu fol. 89.

Ex hoc Francisco duo prodierunt filij incertum tamen ex prima ne, an secunda uxore, qui familiam in duos ramos diuiserunt, nempe Iacobus, et Nicolaus habetur ex actis eiusdem S. C.

Ex Iacobo sequitur series & progenies Dominiorum Baronie

P

San-

Sancti Seuerini, ex Nicolao altera Baronum Terræ Fabalis, & distincte historiam pertexendo: ex Iacobo prædicto usq; ad hæc tempora de eius descendens seriem explicabimus, mox ad Nicolai secundo geniti successionem reuertemur.

Jacobus inquam qui ex Iacobis, quorum in hac collectione mentionem fecimus, quintus dicitur Francisco Patri in feudis successit; obtinuit etenim inuestituram Baronie Sancti Seuerini a Ioanna secunda anno 1427. in Registro eiusdem Reginae fol. 54. et est in actis producta, in qua ipsum Iacobum fidelem & familiarem vocat.

Iacobus hic ab eadem Regina ob egregia merita, in recognitionem nonnullorum obsequiorum, obtinuit annuam perceptionem ducatorum centum, super collectis curiæ debitis per dictam Terram Sancti Seuerini, eumque Iacobum appellat militem Neapolitanum de Sedili Capuanæ extat in processu fol. 78.

— Fuit & iste Iacobus Alphonso Primo carus admodum, ut qui fide, & opera à primo in Regnum ingressu, se eius obsequio dederat et plurimum ad pacificam Regni possessionem profecerat, in cuius testimonium, & recognitionem annuos ducatos centum, quos Ioanna prius ad eius vitam donauerat ei, eiusq; heredibus, & successoribus in perpetuum ampliavit, Castellatum sive Præfectum Arcis Castri noui constituit, de quo idem de Rubeis meminit in præcitatis locis, et in matrimonio iunxit Mariæ de Saluo, nepti (ex Iacobello filio) Magnifici Domini Antonij de Saluo Rocca Angitule, & Castri Menardi Domini, cum dote ducatorum bis mille sexcentum, et fuit matrimonium contractum secundum morem Comitum, et Magnatum Regni & Consuetudinem Baronissarum ipsius, ut ex instrumento dotali de anno 1434. similiter in actis producto.

Ex hac Maria ad filios peruenerunt prædicta Rocca Angitule & Castellum Menardi, iuxta ipsius dispositionem in eius testamento in actis producto circa finem ipsius, & Ioannes Franciscus de Rubeis in suis Historijs, & memorialibus de Iacobo, et matrimonio prædicto hæc verba facit.

Alphonsus Rex Jacobo Morræ uxorem dedit Marianam de Saluo

Saluo de Saluo Liparenfis filiam cum dote Rocca Angitula, alijsque magnis bonis, mox subdit, qui Jacobus Castellanus fuit Castri noui quinter. magno fol. 454. a tergo, prædictæ annuæ concessionis perpetuæ, extat diploma in actis Sacri Consilij de anno, 1440. in quo suum Consiliariũ fidelem, & dilectum appellat.

Ex uxore Jacobus plures suscepit liberos Michaellem ordine Primum, item Ioannem Antonium, Andream Matthæũ, Petrum Aloysium, Nicolaum Mariam, Melchiorrem, & Paulum, ut ex prædicto testamento Mariæ uxoris anno quo de Melchiore non loquitur, quia ei prædecesserat absque filijs.

Michael Primogenitus successit Patri in feudalibus fuitq; Dominus Baronie Sancti Seuerini, uxorem habuit Francischellam Sanframundam, patet ex instrumento dotali producto in actis Sacri Consilij vol. 1. fol. 132. ex qua suscepit Angelum Berardinum, unicum filium, & Armellinam quæ infans decessit, fatiq; concessit Michael in aqua malorũ anno 1460 Ioannes Antonius secundus ordine filius, & Nicolaus Maria ac Melchior decesserunt absq; filijs, nec de eis aliam reperiimus memoriam quam testamenta Mariæ, & Michaelis, in quibus de eis mentio fit, & in arbore antiquæ familiæ eos situatos reperio, licet in eo Melchior non nominetur, quia ipsi Mariæ matri prædecesserat.

Petrus Aloisius vir Ecclesiasticus fuit Abbas mitratus Sanctæ Mariæ de Centula, quæ Abbatia maximæ dignitatis, et non exigui redditus erat de lure patronatus Dominiorum dictæ Baronie de Sancto Seuerino, cuius oppidi Vicus est Centula quod inter cætera, incuria, et negligentia Prædecessorum extinctum, per Sedem Apostolicam nunc conferrri videmus.

Ex Andrea Matthæo tertio Iacobi filio, qui Salerni nupsit Catharinæ Paganae, Alium Iacobum sextum in ordine, & Ioannem Franciscum procreatos constat, ex hoc Jacobo Nicolaus Lutius, & Robertus extitere, nec ipsorum successio amplius protenditur.

Ex

Ex Ioanne Francisco qui Filomelam Curialem uxorem habuit ex Salernitana ne, an ex Surrentina familia ignoro, ori sunt Fabius, Carolus, & Horatius, ex quibus unum Carolum uxorem duxisse comperio Salerni Lucretiam de Vicarijs ex primarijs illius Ciuitatis familijs, ex qua Ioannam filiam suscepit, quæ usque ad nostra tempora viduata viuit, bis viro iuncta cum utroq; sterilis, absque prole decessura.

De Fabio & Horatio nihil aliud reperi.

His enim temporibus nempe anno 1432. Domum quam in vico Sedilis Capuana Caracciolorum denominato, antiquitus possidebat iuxta, domos Petri Caraccioli, et Perrini Sconditis, venditam fuisse constat per Iacobum Goffridum, & Nicolaum filium, & procuratorem ut asserbat in contractu alterius Iacobi, Francisco Caracciolo dicti Petri filio, cuius venditionis contractus est copia producta in processu Hieronymi fol. 143.

Sed qui fuerint hi Iacobi & Goffredus & si multum elaborauerim, huc usque percipere nequiui, nisi iam dictum Nicolaum Iacobi filium, ex Andrea Matthæo genitum fuisse, Durumq; quinimo impossibile est Iacobum aliū illum intelligere Andreae Matthæi Patrem, quia præterquam quod in contractu conuenirent Iacobus, & Nicolaus Pronepos alterius Iacobi nepotis filius, quod esset absurdum cum fuerit celebrata venditio anno 1432. & Iacobus nupserat Mariæ seu Mariane anno 1434. Certum est quod nedum tempore venditionis domus Pronepotes non habebat, sed neq; filios quos nondum genuerat, unde nec iste Nicolaus, nec dictus Iacobus pater, tempore venditionis erat in rerum natura.

Vnde licet sit concedendum Iacobum quintum unum fuisse ex veditoribus, tamen Goffredum, et Nicolaum (ex alio Iacobo) similiter venditores, nobis incognitos, & in obscuro antiquitatis inuolucro delitescere, opus est affirmare.

Paulus tres filios habuisse fertur ex uxore nobis incognita Ioannem Vincentium, Ioannem Baptistam, & Joannem Donatum, de primis duobus nulla alia habetur memoria, quam ipsorum in antiqua arbore descriptio.

Ioannes

Joannes Donatus Eleonoram Vrsinam uxorem duxit ex Principibus Venusij & Grauinæ Ducibus, ex ea Nicolaum Antonium unicum suscepit filium qui Justinianam Caldoram in uxorem duxit superstitem præclari Militia præfatis temporibus generis, ex quibus plures nati sunt filij Iulius, diu defunctus, Vespasianus, Theseus, & Pompeius, hodie viuunt, nescio an dulci matris memoria, an ex alio, etiam cognomine Caldoræ Morræ adiuncto, fuisse retroactis temporibus vsos & certis annis infra, Caldoræ omisso, nostræ tñ familiæ vtuntur cognomento; possident intra fines Ciuitatis Grauinæ feudum dictum lo Maricello non exigua estimationis, et gregibus, alijsq; bonis ditati, splendide viuunt, & familiæ decorem seruant, Pompeius vtriusque Iuris Doctor Neapoli viuunt, omnes cœlibem vitam ducunt ad senectutem vergentes.

Ad Angelum Bernardinum Michaelis filium redeo, vt seriem successionis prosequar, qui in Baronia Sancti Seuerini successit, & Hieronymam Vrsinam Bauciam uxore habuit Gabrielis Venusiæ Ducis filiam, patet ex mandato procurationis eiusdem Hieronymæ Bernardino eius viro pro consecutione nonnullorum à Patre relictorum anno 1476. in actis producto fol. 116.

Ex Bernardino, & Hieronyma natus est Iacobus septimus in ordine eorum, qui in his memorialibus computantur: liquet ex alio procurationis mandato eiusdem Hieronymæ, in quo asserit Iacobum suum & Bernardini filium anno 1482. fol. 113. cui nupsit Hippolyta Galeota, vt ex instrumento dotali anni 1488. fol. 96. et Assensu Regio super feudali obligatione fol. 94. in Processu Hieronymi.

Ex Iacobo et Hippolyta nati sunt Ioannes Bernardinus, Federicus, Franciscus, et Hieronymus.

Ioannes Berardinus in Baronia Sancti Seuerini Iacobo Patri successit anno qui uxorem duxit Virginiam Vrsinam Comitissæ Pacenti sororem, ex quibus nati sunt Iacobus in ordine septimus Ioannes Antonius, Lauinia et Hieronyma. Iacobo nupsit Iulia de Oriflanio, & quia absque liberis decessit Baroniã prædictã Jo. Antonius secundo genitus dicti Ioannis

Q

Ber-

Bernardini est adeptus, quam nimis ere alieno grauatam reperit, contracto ex Ioanne Bernardino Patre, & Jacobo fratre, praesertim pro dotibus, & iuribus dotalibus praedictae Iuliae restituendis, quae secundo loco nupserat Ioanni Iacobo de Vermo, ac dotibus Lauinae sororis, in quorum satisfactionem nescio tamen an iure, an iniuria Casale Poderie peruenit ad praedictum Ioannem Iacobum, & Iuliam coniuges, in causam seu satisfactionem praedictarum dotium, & iurium dotalium, postea casale praedictum peruenit ad Marchionem Bitecti titulo emptionis a praedictis seu alijs ab eis causam habentibus, & demum ad Ioannem Andream de Georgio nunc Regium Consiliarium similiter titulo emptionis a filijs dicti Marchionis, & tandem ab eodem de Georgio, ut audio, venditum cuidam alteri ignoti nominis mihi.

Casale Centulae ex causa annuorum introytuum venditorum a Ioanne Bernardino Patre, Ioanni Nicolao Oriliae et Ioanni Antonio Ricco peruentorum Hospitali Incurabilium, ab eo concessorum Bernardino Galeoto, & successiue Mario filio, & aliorum annuorum debitorum Mario de Alagna cessionario Ioannis Antonij de Mina, & aliorum de Ruge-rio, ac pro dotibus Lauinae de Morra fuit expositum venale, & venditum sub hasta Marino Russo ultimo licitatori pro ducatis 4770. qui fuerunt liberati creditoribus praedictis in processibus in actis Sacri Consilij in Banca Chiaiesij.

Casale Furiae similiter reperitur separatim & sub ditione Domini Hieronymi de Morra iunioris, nepotis (ex Fabritio filio) quondam Hieronymi senioris secundogeniti dicti quondam Iacobi septimi, & fratris minoris dicti Ioannis Bernardini, qui fuit ultimus possessor integre Baronie praedictae eius tempore in tot partes nulliter tamen dissectae, ex quo Casales praedicti, veluti membra capiti, Terrae Sancti Seuerini coniungebantur, nec poterat talis induci diuisio feudi, absque Assensu suae Maiestatis, adeo ut Baro, seu Dominus Sancti Seuerini ex praedictis iuribus poterit Casalia praedicta recuperare, et corpori siue maui capiti Baronie reintegrare, saltem solutis quan-

quantitatibus, et habita ratione fructuum, et interesse.

Lavinia absq; liberis decessit, Hieronyma Monialis effecta in monasterio Divæ Mariæ Magdalenaë Salerni, Franciscæ nomine nuncupata, senex Apostolica dispensatione a Monasterio recedens, pluribus annis Neapoli vixit quam religiosissime, et magna inter matronas existimatione.

Ioannes Antonius nupsit Portiæ de Alaneo ex qua suscepit Mariam, Virginiam, Eleonoram, et Zenobiam, Marius non ducta uxore absq; filijs decessit, et is fuit qui litem reintegrationis cum sedili inchoatam per Hieronymum seniore ad finem usq; perduxit, et reintegrationem obtinuit in anno 1570.

Virginia nupsit primo loco Hieronymo de Morra ex Dominis Baroniæ Fabalis, cum quo procreavit Lauram, et Isabellam, de quibus dicemus cum de Hieronymo tractabimus, secundo loco Pirro Ioanni de Nuceria, tertio loco nupsit Marco Antonio Capicio ex qua Corradum filium suscepit.

Elionora virum habuit Ioannem Hieronymum de Afflicto ex quibus geniti Marcellus, Beatrix, et Camilla. Beatrix nupta fuit Hieronymo de Maio nobili ex Platea Montanea, et Camilla nupsit Turno Fellectiæ Nolano viro patritio quæ absque liberis decessit.

Zenobia Religionem ingressa in Monasterio S. Francisci in Aversa in quo usque ad vitæ exitum religiosissime vixit.

Federicus secundus filius Iacobi et Hippolytæ similiter absq; filijs decessit ex ruina Turris Castri novi, nam cum ipse, et alij, equitando discurrerent circa mœnia dicti Castri, Turris, in qua servabatur tormentarius pulvis fulmine tacta succenditur, totaq; ab imo in altum euolans omnes obruit circum incedentes, multasq; domos euertit, et inter alios Federicus ibi mortem misere obiuit anno 1546.

De Francisco nihil hætenus certo scire potui, fama tamen accepi demersum in flumine, quod oppidum Sancti Seuerini præterfluit.

Hieronymum (qui senior ad differentiam alterius ex Dominis Baroniæ Fabalis eodem tempore existentis) militia extulit,
cum

eum viginti ipsos annos multis expeditionibus detinuit. ped-
 tum cohortem duxit in Mediolanensi bello, quod Francisci
 Gallorum Regis aduentu gestum est. Et cum omnibus, tamen
 illi maxime praelio interfuit, quo Rex in manus hostium deue-
 nit, perstitit in eo munere aliquandiu ad annum usq; septi-
 mum et vigesimum supra mille quingentos, quo Carolus ut
 solemni more Pontificis maximi manu diademate alijsq; Im-
 perij insignibus cohonestaretur, Bononiam venit; cuius diei
 pompa, inter alios proceres Hieronymum habuit non postre-
 mo loco. Deinde cum Solimanus maximis viribus Pannoniã
 egressus deuastaret, statuissetq; Imperator eo copias suas du-
 cere, eodem ipse munere functus est, sub Ferdinandi Consa-
 gæ ductu, post eam expeditionem, cum inaudisset Carolum in
 Africam propediem cum exercitu iturũ, priuato studio atq;
 impensa biremem extruxit, et classiarijs et milite compleuit
 secutusq; est Imperatorem sub classis Præfecto Andrea Oria-
 neque irrita industria, nam quod eius nauigium expeditius
 videretur, ipsam Goletæ arcem subire atq; omnia late explo-
 rare iussus est, parumq; absuit a supremo discrimine, nam
 geminato ictu ænei tormenti ab arce disploti, tum multi e-
 militibus, remigibusq; extincti sunt, tum biremis etiam ipsa
 pessum abiit. Cũq; paulo post exscensionẽ fecissent, praelio quod
 cum Aenobarbo (Barbarussam vocant) gestum est, felici
 euentu, et Tunetane victoriæ affuit. adeoq; Ferdinandum
 Consagam sibi deuinxit, ut ab eo in Siciliam (quam ille pro-
 uinciam Prorege administrandam susceperat) ductus, et ma-
 gno semper in honore habitus sit; adeo ut nihil ille paulo gra-
 uius, inconsulto Hieronymo aggredi vellet, neque domesticis
 tantum rebus cũ Ferdinandus præfecerat, Regniq; in admini-
 stratione in arduis eius cõsilio et opera utendo, sed cũ maximis
 de rebus cum Philippo, aut Carolo agendum esset, Hierony-
 mum in Germaniam, Britanniam, Hispaniam legauit. in-
 de reuersum præclarissimæ femine D. Isabelle Montalto
 præclaro inter Siculos loco natæ, coniugio et non mediocri do-
 te auxit. Militiam Hieronymi, eiusq; præclara facinora
 enarrat Thomas Gramaticus Regius Consiliarius, quem ea
 de re

dere ad se scribere iussit ipsemet Carolus iam inde ab anno 1539. aseruat hie pulcherrimum militaris eius gloriæ monumentum in Regia Cancellaria, apud acta quondam Jacobi Antonij Gattule Regij à Mandatis scribæ.

Ex Hieronymo, & Isabella nati sunt Fabritius, & Iulius, qui absq; liberis decessit ex vulnere in capite inflicto, dum quadã die Veneris Martij anni 1578. Ædes Diui Pauli Neapolis Indulgentiarum conquirendarum gratia visitasset, vis multitudinis, parietem in atrio recentem corruere fecit, qui in eo reperiebantur in terram cecidere altitudine non mediocri, ex quo casu capite ad lapidem illis, fractoq; semiuivus domum reductus, paucis post diebus spiritum efflauit, quod idem accidit Iulio Cesari de Lauro, qui eum comitabatur, Martiæ de Morra filio, ex Dominis Baroniæ Fabalis, de quibus suo loco.

Don Fabritius post varios fortunæ casus, profugus ex nonnullis inquisitionibus contra eum conflatas, præsertim cuiusdam homicidij, simul cum Perseo Martirano capite in contumaciam damnatus, in Siciliam se recepit ad Consanguineos Isbellæ Matris, à quibus gratiose susceptus, eidem matrimonio copularunt mulierem nobilem, eisdem etiam sanguine iunctã, scilicet Donnã Violantem Bellomo, et Platamone ex Siracusa, dote notabili, ultra id quod eidem ex soceri successione peruenit; sibiq; Terra Buccherij prope Siracusam Vassallis, & redditibus numerosam comparauit.

Ex Don Fabritio nati sunt Don Hieronymus, D. Valerius, D. Ioannes, Don Iulius, Donna Lucia, & Donna Isabella.

Don Hieronimus hodie Princeps Buccherij legalis disciplinæ professor eruditus alijsq; liberalibus studijs ornatus Messanæ nupsit D. Joannæ filiæ Viscontis Ritij, dote copiosa, & certorum feudorum successione ditatus, Domi forisq; in publicis negotijs grauibsq; pacis Militiæq; expeditionibus à Principibus ProRege Siciliam moderantibus sæpe occupatum percipimus, ex uxore suscepit, usque modo D. Viscontem, D. Antoniam, & D. Eleonoram.

D. Valerius etiam nupsit Dnæ Lucretiæ Scamacca de Lentino, casq; parum gauisus illa paulo post absq; sobole decente.

R

Don

Don Ioannes Patris destinatione Ecclesiasticam vitam sortitus sacris iniatus, & sacerdos, ac utriusque Signaturæ Referendarius, ardenti spiritu acriq; animo, pluribus annis varie agitatus carceribus, et peregrinationibus, modo quiescit.

D. Julius miles Hierosolymitanus ab incunabulis Sacræ Religionis addictus penè infans ad magni Magistri obsequium transmissus, ab eoq; inter valletos ascitus, amanter retentus, & sacro habitu insignitus, eoq; adulto functiones, omnium laude peregit Militiæ, & Triremium profectio, iuxta Religionis instituta, studijs iucundioris disciplinæ versatus, magnæ spei, & indolis adolescens.

Donna Lucia nupsit D. Antonio de Aragonia Dominorum Augustæ.

Doña Isabella matrimonio fuit iuncta cum D. Blasco Gaetano Marchionis Fortini germano.

De Baronia Sancti Seuerini, oppidum Furie possidetur per D. Hieronymum ex patris Julij successione, posita D. Fabritij Patris incapacitate, & ut aiunt foriudicatione, quod ei ut ex nonnullorum relatione percepi, fuit (ratione vitæ militiæ Hieronymo Patri debitæ) certo modo assignatum, Terra autem Sancti Seuerini à Fisco possidetur; quæ tamen ratione mihi ignotum, scio equidem Marium ultimum fuisse possessorem, & Dominum Baroniæ, cui Zenobia soror licet monialis nõdum professa successisset, quæ tamen iura successionis totius Baroniæ prædicto Julio fratri consobrino cessit, et ex eo transfusa in Dominum Hieronymum hodie reperiuntur (reperitur cessio prædicta in actis q. Notarij Joannis Jacobi Pellicie Ciuitatis Auerse de anno 1575.) qui faciliter poterit ad se totam Baroniam reducere mediocri impensa, magnoq; beneficio & totius familiæ commendatione & applausu, sed bonorum, quæ in ulteriori Sicilia possidet, Vxoris et filiorum amore detemptus, parum de his curare videtur, quæ tamen ob Progenitorum memoriam, & familiæ decorem non essent ita facile aspernenda, sed omnia Dei nutu aguntur, cui ut Seneca ait, ita placitum est, nullius rei eodem semper loco stare fortunam.

Ad



Ad nostri Nicolai seriem reuertamur, postquam Iacobi fratris natu maioris successionem ad nostra usque tempora ordinate pertulimus, prout ex historijs, processibus, scripturis publicis, et priuatis & antiquorum traditionibus excerpsumus, nihil sane omitendo quod ad rerum no-

strarum, & familiae nostrae notionē pertinuisse intellexerim. Nicolaus militiam prosequens illis varijs Regni mutationibus prout vario semper sensu fuit Ioanna Secunda, quae tunc temporis Regno potiebatur, diu tandem laboribus, & armis fatigatus, nupsit quasi senex uxori, cuius nullam habemus nominis nec familiae memoriam, & unicum filium procreauit nomine Bartholomæum.

Fuit Bartholomæus vir quidem strenuus animo, & corpore praestans, qui in Aula Regia nutritus Ferdinando Regi Magni Alfonsi filio apprime carus, eiusque Regiorum equorum Magister fertur inter Aulicos Regios primi ordinis locum tenuisse, siue in bellis, quae ijs temporibus acciderunt, siue in pace, obsequio in suos Reges, & exercitatione bellica in bellorum publicis simulacris, in quibus ceteros viridum robore & dexteritate fertur antecelluisse, uxorem habuit Menoccam Biuaquam, ex qua Baroniam Terrae Fabalis cum suis feudis, & pagis quae tunc possidebat in familiam peruenisse comperimus, sicuti, & amplos fundos in Terra Ordeoli, quorum adhuc magnam partem possident successores.

Ex Bartholomæo & Menocca nati fuerunt Antonius successor in dicta Baronia, et Iosias seu Iosuelis.

De isto Iosueli non aliam reperi memoriam, nisi quam de eo facit Mazzella in vita Ferdinandi Primi, dum de comitantibus Beatricem Ferdinandi filiam, Vngariam petentem, Regi Matthiae nuptam anno 1485. dicit in quadam Regia scheda adnotatos reperisse quinquaginta proceres, & equites Neapolitanos, qui Don Federicum de Aragonia Ferdinandi filium (praedictam Beatricem sororem Regi Vngaro desponsatam honoris causa ducentem) comitati fuerant, quos recenset et inter eos describitur Iosuelis Morra.

De

De Antonio non aliud memoriae dignum reperi, nisi quod plures suscepit liberos ex Elizabeth Francoperta ex antiquis Pentidaetoli Dominis apud Brutios, Familia, origine Hispana, quorum primos aduenisse pleriq; volunt ex Catalonia Diuum Alphonsum sequutos, fuerat Elisabeth, Reginae Ioannae seruitijs et obsequio, ab illius ex Hispania discensu eiq; admodum accepta, quam Reges honorifice nuptui tradiderunt dotem de Regio erario persoluentes, ex eo namque natos fuisse comperimus Ioannem Michaellem qui Baronie Fabalistanquam Primogenitus successit.

Item Iacobum, Lambertum, Nicolaum Franciscum, Baldaxinum, Cornelium et Hieronymum necnon et feminas Juliã, Martiam, Cæciliam, & Lauram.

De Iacobo nihil ultra ortum ad me usq; modo perlatum.

Hieronymus non minus domesticis dissidijs quam militaribus laboribus diu fatigatus, ex ijs praesertim, quae anno 1527. perpeffus est, ob aduentum Gallorũ cum Odeſto Fusio, alias Lautrecco Duce (ex quo locus, in quo sua fixerat tentoria usq; hodie prope mœnia Neapolis Lautreccum appellatur) ad Regni inuasionem, postremi Salerni Principis tum fortunam sequutus, quam etiam in omnibus expeditionibus in quibus Princeps Carolo Imperatori deseruierat eũ sectatus, siue in Italia, siue in Germania praesertim contra regulos illos Saxoniae Ducem, et Lotharingiae Dominum, fide, et labore strenue dimicando, maximam apud omnes virtutis bellicae opinionem adeptus fuerat, sed Principe tandem delirante, & a fide Regia Apostatante, fessus se domum recepit, et honorifice uiuens, inter Primarios nostrae urbis proceres omnibus se carum praebuit, donec tandem senex nupsit anno 1561. Virginiae de Morra filiae Ioannis Antonij, de quo in explicatione praecedentis rami mentionem fecimus, ex ea namq; suscepit duas filias Lauram, & Elisabet ob matris recordationem, quae tamen materno, et communi vocabulo Isabella fuit appellata.

Non dum triennio in matrimonio absoluto decessit circiter annum 1565. Hieronymus, exiguo tamen patrimonio relicto, eoq; administratorum incuria pene consumpto, uxor adhuc

ado-

lescentula est forma per quam eleganti, ad secundas transire nuptias consulto festinauit, relictis infantibus educandis, matronis etate est prudentia grauibus Lauinia, est Franciscæ germanis sororibus, ipsius Virginia Amitis, de quibus supra meminimus, quæ Neapolis iunctim pene sanctimonialem vitam agebant, adultisq; ipsis, Lauram natu maiorem Ferdinando Bozaotra viro nobili, est diuiti matrimonio collocarunt, ex quo duas habuit filias, quarum unam parentes Marcello Caracciolo tradiderunt viro patritio, plurium annorum militia apud Belgas claro, in cuius recognitionem à Catholico Rege fuerat annua pensione donatus.

Isabellam nuptui mortua Lauinia Francisca superstes Joanni Aloisio Carrasæ tradidit, ex Magdaloni Ducibus, circa annum 1582. ex qua duas similiter filias procreauit Hippolitam est Corneliam, Hippolita Horatio Capano ex Sedili Nidi in matrimonium adiuncta viro genere claro; Cornelia prius Don Ferdinando Rossi ex Comitibus Calatiæ, Comitis filio, ex quo similiter duos habuit filios, eoq; mortuo denuo nupsit, Don Troiano Gattula ex Sedili Portæ nouæ.

Isabella prædicta mortuo Ioanne Aloisio primo viro matris speciem, est fatum Sortita, cum etate florescente viro se orbatã cerneret, Sacro Monialium Cenobio Sancti Marcellini et Festi se sponte conclusit, illinc (post nonnullos annos ibi religiose transactos) diuertens, consanguineorum suasu anno 1591. secundas cum Marcello Blanch nuptias contraxit, vir utiq; utroq; genere nobilitate clarus ex Hispania originem trahens, ac ob propria et prædecessorum merita a Catholico nostro Rege, est Domino, Sacro habitu de Alcantara decoratus; Ex hoc secundo matrimonio, præter feminam, quæ in Monasterio Sancti Hieronymi huius Ciuitatis Monialem habitum suscepit, habuit mares Joannem Thomam, qui (legalis disciplinæ cursu peracto graduq; suscepto, in patris obsequium est in vim propriæ voluntatis) cum primum occasio adfuit natura impellente, animique ferocia stimulatus, ad militaria exercitia conuolauit, est cum signifer hinc ad Cisalpinam expeditionem, duobus ab hinc annis discessisset, adeo

S se

se strenue gessit, ut paulo post a summo expeditionis Duce, unius cohortis peditum ducatum obtinuit, cui huc usq; cum laude præest. Alter filius Michael adolescens Patris hortatu literis incūbit, nescio an exitu sceliciori: His relictis filijs Isabella fati immature concessit, Mulier equidē non minus animo, quā corpore præstans, forma, prudentia, morūq; venustate ac suauitate, inter præclaras nostri æui feminas reponenda.

Nicolaus Franciscus quietiori vitæ deditus ruralibus exercitijs, et venationibus vitam usq; ad mortem perduxit in Terra Fabalis his occupationibus aptissima.

Cornelius et Baldaxinus in Galliam se receperunt ut infra, cum de Joanne Michael, et filijs tractabimus.

Ex Cornelio antequam ad externa diuertisset filius ortus est nobis, in Terra Fabalis Joannes Dominicus nominatus, qui clericalem vitam induit, illamq; religiose huc usq; in extrema pene senectâ seruat.

Ut de filiabus Antonij aliqua verba faciamus: Cecilia, et Laura cælibem vitam duxerunt quousq; in eadem Terra Fabalis fati concesserunt, Iulia nupsit Ioanni Aloisio Peregrino, viro antiquitate generis conspicuo, et literarum bonarumq; artium fama claro, Terræ Sancti Ruffi prope Dianum in Lucanis Domino, ex qua ori loannes Camillus qui Baroniæ successit, et Ioannes Aloisius, qui posthumus fuit, vir quidem lepidus, musis carus, amicis omnibus periucundus, qui uxoris onere expers, absque prole ante paucos annos mortem obiuit, habuit, et filias Claudiam et Aureliam Primam absq; liberis licet nupta decessit, Secunda Ioanni Matthæo Griso nupsit Baroni Celsi, Galdi, et Perdifumi in Cilento Domino, viro nobili, ex quo Antonius nunc Bathollæ Dominus, et Ioannes Iacobus frater. Martia nupsit Ioanni Petro de Lauro nobili viro Ciuitatis Amantæ apud Brutios et illius Prouinciæ Portitori, seu Portulano, qui multa feuda in Brutijs et Lucanis possidebat, eiusdemq; Ciuitatis Actuariatus officium, ex quo duos filios habuit, Iulium Cæsarem, et Ioannem Donatum. Julius Cæsar bonis pro maiori parte dilapidatis, ex ruina Atrij Diui Pauli ut diximus, cum de Iulio

Julio supra tractauimus collisus interijt, relicto Ioanne Donato qui reliqua bona hereditaria capeffuit.

Ioannes Michael uiuente patre matrimonio iunctus est Aloisia Brancatia Ioannis Caroli sororis, ex quo Mutij & Caroli subsequentes prodire, quorum hodie Mutius Ioannis Caroli pronepos, eiusq; filius Carolus caesarum Patronus nostra tempestate celebris extant: Habuit et Ioannes Carolus alteram sororem nomine Beatricem nuptam Angelo Spinae, ex quibus Marcus Antonius filius, & Ioanna, ex Marco Antonio nepotes habuit Angelum similiter caesarum patronum eximium, qui absque liberis iuuenis decessit. Scipionem Lupiensem Episcopum, Annibalem, Caesarem, Joannem Thomam ordine militiae Alcantarae insignitum ob egregia facinora apud Belgas patratata pro Rege, ubi & in subalpinis pluries Tribunus militum Regni copijs adductis strenue suis functus muneribus magna cum laude, etiam ab inimicis, praesertim ab Henrico Quarto Gallorum Rege, cum admiratione extollente subsidium ab eo praestitum Parisijs obsessis ipsius Regis exercitu circumlustrato, Extiterunt et alij duo fratres Octavius, et Septimius qui in illis expeditionibus Ioannem Thomam fratrem sequuti strenue dimicantes temeraria audacia corruerunt, ipsorum postremus Laelius domi Laura Carrasa in uxore ducta quietiorem agit vitam; Ex Beatrice igitur Aloisiae Germanae, procedit cognatio, quae inter ipsarum sororum descendentes intercedit.

Ioanna altera Beatricis filia primo loco nupsit Ioanni Jacobo de Marra, ex quo Beatricem de Marra procreauit, quam nostris temporibus Marchionissam Sancti Lucidi vidimus, illius Ferdinandi Carrasae Marchionis uxorem, musarum et bonarum artium studiosi, ex quo Federicus unicum genuit filium, qui nupsit Donnae Mariae de Aualos ab Aragonia Don Caroli filiae, forma quidem corporis, & animi praestantia, sed post tertias reperitas nuptias, infortunato exitu satis famose. Nupsit secundo Ioanna Iacobo Antonio Aquaiuae Equiti praeclearo ex Marchionibus Bellantis, decessitq; ex isto matrimonio nullis susceptis liberis.

Ad

Ad Ioannem Michaelē redeundo: hic ex Aloisia predicta uxore plures suscepit filios, Scipionem, Marcum Antonium, Casarem, Decium, Fabium et quasi posthumum ultimo loco Camillum, habuit et filias Fabellam, et Portiam.

X Fuit Ioannes Michael vir corpore licet exiguo, animo tamen grandis et acer, cumque Princeps Salerni totam fere Lucaniam possideret, praeter id quod in Picentinis tenebat, ubi uti Regulus habebatur, et ad Regum instar domum, et familiam continebat, possidebat inter cetera Castrum Rotundellae prope Baroniam Fabalis, inter utriusque loci ministros orta est rixa, Ioannes Michael Principis auctoritatem, ac potentiam non aduertens, in eius ministros irruens, eiusque Iurisdictionem pessundans, grauem in se Principis indignationem excitauit, eoque magis quo Nostrates, nostros, et de nostro sanguine, ipse erat solitus appellare; his fere temporibus accidit in Regno Gallorum irruptio anno 1527. sub Odecto Fusio Duce memorato, illorumque copijs Dei nutu potius quam ferro consumptis, cum fere maiorem Regni partem in suam potestatem subegissent, eisque complures Barones se ultro dedissent, Regno tandem pacato, ardua quippe inquisitio contra eos qui a fide eo tempore inuasionis defecissent constata fuit, inter alios delatus Ioannes Michael, ut quia nedum ad nostra Castra, ut par erat, non accessisset, sed quod Gallorum Ducibus se iunxisset, eisque regiones finitimas discurrentibus alimoniam misisset; licet haec falso commenta fuisse sciret, se ultro ad illa diluenda, ut facile foret, exhibere iudicibus ad hoc destinatis renuit, non tam illorum rigorem, quam Principis Salerni auctoritatem serò formidans, a quo odio se haberi ex antedictis certo sciebat, quique, ut rei ostendit euentus, terram predictam, quae intra magni sui status ambitum continebatur, illi annectere et incorporare contenderat, adeo ut fratribus et filijs Ioannis Michaelis, qui pro recuperatione terrae predictae iam confiscatae, et ad manus Principis (Imperatricis Caroli Quinti munificentia inter cetera elargita) peruenerat, eorumque super ea iurium coram Iudicibus nitebantur, se eis in iudicio oppositorem fecit, ut ex

pro-

processu in Regia Camera ad instantiam Nicolai Francisci, & aliorum fratrum & sororum dicti quondam Joannis Michaelis, pro vite militiæ, & dotium de paragio consequutione, unde fato cedens Regno discessit anno 1528. mense Augusti, Romæ aliquandiu moratus, deinde in Galliam se recepit, eo tamen longe absente, causam coram Judicibus Rebellium fratribus alijsq; instantibus plene examinata, & discussa visum fuit eisdem Iudicibus pro Regni necessitatibus, causam potius transactione, quam sententia terminare: & sic (solutis ducatis duobus millibus) restitutum fuit Marco Antonio ipsius Ioannis Michaelis Primogenito, oppidum prædictum Fabalis cum suis feudis omnibus, tamen sic affectis qualitatibus, ut ante confiscationem reperiebantur, & veluti si nunquam confiscatio ipsa facta fuisset, Idem ipse Ioannes Michael plene honoribus & dignitatibus restitutus, si quomodo, ut tibi dicitur, per dictam inquisitionem læsus videretur, ita ut libere posset domum propriam reueri, suisq; honoribus, & dignitatibus frui, ut si nunquam inquisitus, delendo acta, scripturas, sententiam, processus, & informationes quascunq; contra eum existentes, & existentia, eumque plenarie in statum pristinum restituendo, ut ex rescripto producto in Regia Camera in processu inter Regium Fiscum, & Magnificum Marcum Antonium de Morra ex una, & Ill. Principem Salerni ex altera in banca de Serico, et registratum in Regia Cancellaria existente Prorege. Ill. Don Petro de Toledo ultimo Ianuarij (1553) in Priuilegiorum quarto folio 113. quæ sic adnotasse volui, ut qui de prædictis notitiam ita plenè non habuissent, a malignorum morsibus aliquando læcessitos tueri nos valeant, tota namq; eius series è suo originali, cum casus exegerit, desumi faciliter poterit.

Scipio, secundus in ordine filius Ioannis Michaelis adhuc adolescens, magnam in suos genuit sui ipsius expectationem, ex summo ingenio, prompta, ac tenaci memoria, mira ad literas ediscendas felicitate, adeo ut Latinas, & Græcas adhuc puer ita calluerit ut admirationem attulerit omnibus; à Patre Romam missus ad altiora studia, nobilioresque scientias

comparandas, adeo breui temporis cursu in omnibus profecit, ut in ipso bonarum artium emporio, & disciplinarum palestra, nedum notus, sed inter præclaros rarus haberetur; Aderat ea tempestate pro Gallia Rege apud Pontificem legatus, quidam præclarus vir Gallus apprimè studiosus, qui Scipionis admirans virtutes, animiq; præstantiam, & in amicitiam adlegit suam, et in magna habuit consuetudine, donec ad propriaremeans illum secum ire suavit, quod facile fuit Patris amore flagranti persuadere; pater enim aliquibus ante annis ut supra diximus se illuc receperat, cumq; primum Parisios aduentasset, & inter eminentes scientiarum bonarumq; artium, sui Scipio periculum faceret, in maximam existimationem a plerisq; habitus fuit, adeo ut Catharina Medices paulo post Regina, suum eum a Secretis constituerit, eiq; acceptus certis annis fideliter inseruierit, magna tamen naturalium in sui ruinam, inuidia concitata.

Interea acrius fatum domus reliquias percussit, & agitavit, dum in Terra Fabalis Aloisia (viro destituta, Scipioneque filio iam longe agente) moraretur, secum restantibus Marco Antonio, Decio, Cesare, Fabio adultis viris, Camillo infante, necnon Isabella (quæ Coætanea Scipionis fratris, eiusque in disciplinis & scientijs emula in eis mirè profecerat, sexumque superando Poësia præsertim celebre nomen sibi in finitimis remotisque Regionibus comparauerat, cuius nonnullæ compositiones hetrusca lingua adhuc in volumine Poëtarum illustrium diuersorum leguntur) & Portia natu minima. Aderat paucis milliaribus distans a Terra Fabalis castrum Bollitæ, cuius Dominus erat Ddn Didacus de Castro Hispanus apprimè nobilis D. Antonia Caracciole maritus, a qua in dotem oppidum ipsum acceperat, eratque Tarentina Arcis Regiæ Præfectus: Cum ad prædictorū fratrum aures perlatum esset Don Didacum opera cuiusdã pedagogi usum, literas cum rithmis Isabellæ misisse, ad cuius tamen manus certum fuit peruenisse, nomine tamen uxoris Don Didaci, easque ipsam non legisse, nã clausas ad fratrum manus assignauit eas conquærentium, se à pedagogo eas asserens accepisse D. Antonia nomine, fra-
tres

tres vero, quos ferinos, ac barbaros locus agrestis educauerat, ac formauerat, nil morati Pædagogum dirè necarunt, sororem innocentem pugionibus confecerunt, persuasi ab iniquo spiritu Don Didacum literarum interceptione certum, Pro-uincia Gubernatorem interpellasse ut festinans Isabellam a Fratibus præriperet, quod Commentitium fuisse probauit euentus; Isabella perempta ad necem Don Didaci toto animi nisu se Conuerterunt, et quanquam ipsorum ferociam, agrestemque naturam ut par erat Didacus formidaret; Ita, ut, dum Tarentum petebat, dumq; ad uxorem uisendam ad Bollitam remeabat, quod frequenter agebat, magno armatorum equestrium peditorumq; stipatus numero incederet, tandem fatum vitare nequiuit, Dum etenim postremo a Tarento ueniens Bollitam peteret, suorum armatorum Comitatu, in quodam loco Noam versus, tribus milliaribus a Terra Fabalis distante, unde eum transiturum per necesse sciebant, post plurium dierum latentem obseruationem ex occultiore loco, et insidijs apto, mox exilientes illum aggressi pluribus uulneribus trucidarunt, omnibus eum Comitantibus in fugam lapsis. Huic facinori interfuerunt Cesar, Fabius, et Decius Fratres, Cornelius et Baldaxinus patruum, contra quos tam grauis exarsit Iudicum persecutio ut tota regio copijs armatorum per plures menses deuastata pene ad depopulationem peruenerit Petro a Toletto Pro Rege iubente.

Cumque temporis decursu Principis iram nihil segnius descendentem animaduertissent, quinimo in dies excrescentem audirent, ipsi a Regno cedentes in Galliam apud Patrem, et Scipionem fratrem, qui iam Regine famulatu Secretarij uicem implebat, se receperunt, is namque licet ualde sororis necem doleret, acrem ferocemq; fratrum in hoc spiritum increparet, tamen ad eorum subsidia se conuertit, Pater namque aliquibus antea annis decesserat, dum certior de restitutione factus de regressu ad propria cogitaret, Sic itaque Decio qui clericalem induerat habitum Abbatiam quandam in Pro-uincia de Limosi Abbatia de Beneuento nuncupata a Regina sibi conferri obtinuit; in ea plures fratres ordinis Sancti Au-

Augustini inseruiunt, habet Abbas Iu. a Episcopalia, eratque redditus aureorum ut fertur quat. 10. mille, & eo amplius, habet & collationes nonnullas quas Canonias vocant, ad quatuor centum aureos circiter unaqueque pertigens; Cesari uxorem elegit feminam nobilem Gabrielam Falcori, quae ei in dotem adduxit oppidum dictum Ciamoran in eadem Prouincia, & prope Abbatiam, fuissetque plura in illorum augmentum facturus, ni inuide aulicorum manus, illum veneno praeproperè non substulissent. Decessit Scipio, eiusque mortem grauiter accepit Regina, & ira contra patratores exarsit; sed nihil ad nostrum: Vsq; ad annum 1600. fratres illos vixisse percepi, Cornelio, & Baldaxino Patruis satis ante defunctis, ex Cesare duos natos percepi filios, quorum vnus nomine Horatius anno 1600. in Italiam venit, domique nostrae pluribus diebus moratus de his quae ei innotuerant ex Patris patruorumque relatione, nobis notitiam dedit; ex eo percepimus alterum habere fratrem Carolum nomine, sororemque Goffredam; repetijt ille Galliam.

Mox nulla de eo, nec de alijs amplius ad nos relatio peruenit; vsque hodie, reor omnes defunctos ex bellis intestinis quae ab anno 600. Regnum illud deuastrarunt, & omnia subuerterunt, fieri tamen potest ut aliquis ex filijs Caesaris superstes ad huc sit liberis fortasse susceptis, & successio generis ad huc per eos in Gallia propagetur.

Ad Marcum Antonium reuertamur; is in illa persecutione contra fratres ex morte Don Didaci concitata, in vincula coniectus fuit, ut pote qui in fratrum consilium venisse existimabatur et qui maior nato parem cum fratribus fortunam subiturus videbatur, tandem post diutini carceris detentionem Tarētum relegatus; mox gratia relegationis obtenta, domum reuersus nupsit Verdelle Capicia Galeotæ ex Baronibus Terræ Sorbi Primariae Feminae, quae eidem plures genuit filios, Fabritium, Ionnem Michaellem, Prosperum, Scipionem, Horatium, Hipolitam, & Beatricem, defuncto deinde Marco Antonio anno 1561. eidem Fabritius primogenitus in Baronia successit.

Fa-

Fabritius elapsis paucis annis, fato munus immaturè persoluit non adhuc uxoratus, eique successit Ioannes Michael.

Ioannes Michael fratri succedens; nupsit Corneliae de Magistro Iudice, quæ matrem habuerat Portiam de Sancto Severino Summensium Ducis sororem, ex prædicta coniuge duos habuit filios Fabritium & Fabium, qui clericalem usque modo vitam agunt, Ioanne Michaeli paucis ab hinc annis defuncto, ipso tamen viuente nimis ære alieno grauato, tant ex paterna & auita successione, quam ex propria dilapidatione, et quod magis, ex intestinis discordijs, iurgijs, & litibus cum Hieronymo Patruo magno, cum Camillo Patruo & eadem Verdella matre, fuit Baronia Fabalis venalis exposita. Concurrerant multi licitatores, quod Camillus ægre persensiens, ne insignia familiae, quæ circiter annis tercentis in arce illius Baronie extabant amouerentur, neque prædecessorum cineres in sepulcro quiescentes perturbarentur & dispergerentur, cautelam excogitauit, ne extra familiam abdiceretur, offerens magnam pecunie summam. s. viginti unum mille & quingenta cum pacto tamen de retrouendendo quancocunq; in beneficium Ioannis Michaelis & filiorum. Cumque primæ aliorum oblationes decem & nouem mille non excessissent, aduertens S. C. augustiorem oblationem illam admisit, & iussit super ea accendi candelam, qua demum extincta, cum eisdem conditionibus, & pactis remansit prædicta Verdella Galeotæ pro ducatis viginti duobus millibus, quæ computatis in eis ducatis sex mille, vel circa pro eius dotibus & antefato, reliquam precij partem deposuit, quam a nonnullis fœnori accepit, a quo cum paulo post se liberare optasset, Beatricem supremam filiam uxorem dedit Decio Olimpio, Tiberij Advocati Primarij filij, nobilitati Capuanæ ascito, cessitque ei Baroniæ pro ducatis viginti tribus mille. ea conditione, ut deponeret ducatos sexdecim mille pro illis soluendis eis a quibus ipsa Verdella fœnori acceperat, ut ipsam liberarent. tres retineret pro dotibus Beatricis, & præ reliquis eidem corresponderet ad certam nationem; Mortuis deinde Verdella, Decio, & Beatrice superstiti filio ex Aui memo-

V

ria

ria Tiberio nuncupato, illi tamen nõ in omnibus simili. Iuuenis ingenio præditus Musarum studijs propensus. Substinendus utique, si vitam remissiozem perduceret, eamq; humano sanguine plurimum confessorum fœdam non aspersisset. Creditores Verdelle, & Decij concurrentes illã in sequestro S. C. tenent, agitur de eam libere vendendo, quamuis filij Joannis Michaelis se opponant cum illam ad se spectare prætendant. Prosper & Scipio satis concesserunt, liberis non relictis, qui & uxores neque habuerunt.

Horatius viuit adhuc, quietiori vitæ deditus in ipsa Baronia, fortune defectum, et molestiam modeste ferens sacerdotij gradu suscepto.

Hippolita Monialis effecta in Monasterio Sancti Marcellini Neapolis vitam duxit ab initio, ut ducit ad præsens in graui etate constituta, laudabilem nempe, & ab omnibus, obseruantia Religionis, prudentia, & morum probitate commendata, his usque modo illi monasterio præfuit; licet inuita.

Portia Joannis Michaelis senioris filia, nupsit etate grauis Fabio Bucino Aduocato non parue existimationis, habuerat Fabius Germanos fratres Scipionem Regiæ Camerae Præsidentem, Marcellum qui armis deditus in pluribus expeditionibus strenue sub Imperatoris Caroli Quinti, & Catholici Regis filij recol. mem. præsertim ad ora Ostiæ et flumen Truenti ad bellum pro Regni inuasionem paratum per Pontificem Paulum Quartum, & Gallie Regem se gessit, fuitq; in bello anno 55. aduersus Gallorum inuasionem pedestris Cohortis Dux: Et Troianum virum moribus ornatum, omnes absque filijs decesserunt, superstite Fabio qui ex prædicta Portia Coniuge filios habuit Cæsarem, Horatium, & Ioannem Baptistam Aloisiam, & Beatricem, Cæsar miles Hierosolimitanus senio properans decessit, Ioannes Baptista primus omnium mortem obiuerat adolescens, absq; filijs, nec uxoratus. Horatius fratres sequutus paucos post annos ipsorum familiam clausit, hi namque fratres Bucini ex Iuliano Bucino geniti, qui fidissimus Alphonsi & Ferdinandi Primi pluries ad diuersos Reges, & Principes Legatus munus suum

suum summo cum honore perfecit, fuitq; aurei velleris dignitate insignitus, ut ego in multarum literarum Regis Ferdinandi Primi eidem missarum diuersis inscriptionibus legi.

Aloisia et Beatrix Moniales in Monasterio Sancti Victorini in Ciuitate Beneuenti summa cum laude omnium vitam religiosissime seruarunt huc vsque, quo Beatrix Sanctitatis opinione decessit, superstite Aloisia, quæ illi Monasterio cui iussu Pontificis anno 1610. annexum est aliud Sancti Deodati, consensu omnium monialium utrisque Monasterij laudabiliter, et summa cum prudentia præest.

Superest ut de Camillo verba faciamus qui natus 30. Septembris. 1528. veluti posthumus habitus post patris discessum in Domus tactura et casu natus, septemnis ab vlnis maternis educitur et seruitijs Principis Salerni Heroynæ feminae mancipatur, quæ non minus Principe viro Regiam quandam speciem, et dignitatem præferebat, tum multa præstantia, et magnanimitate, cum etiam domus splendore: Deligebantur pueri nobiles et Primarij qui Pedagogis aliarumq; bonarum artium, et quæ nobiles præsertim decent magistris addicti splendide nutriebantur, hinc nonnulli ob filios in hanc Regiam immittendos plurimum insudabant, et intercessionibus pluribus utebantur. Decennio pene in Principis obsequio et famulatu ita transacto, anno 1544. feruens animus amicorumque suusus eum in Cisalpinam Galliam clandestina fuga duxerunt, hic belli occasionem querens lustratisq; per annum partibus illis, cum ad sui animi votum nihil in terra responderet, tentauit aquas, triremibusq; Domini Monaci Conscensis pene alio biennio in piratarum insectatione vacauit, deinde obscuram agnoscens vitam illam, demortuosq; labores, domum repetijt, ubi Matrem in extrema senectute constitutam reperijt, a Marco Antonio filio primogenito seiunctam, ut quæ cum nuru concorditer viuere nequisset, quamobrem Neapolim se receperat, in cuius obsequio, et cura Camillus nonnullos transegit annos, quo tempore lites oriri ceperunt pro dotium, et antefati matris consequutione et pro sua vita militia, contra Marcum Antonium fratrem;

ijs

Ijs fere temporibus Princeps Salerno a fide defecit, cumq; in Galliam se recepisset, & pro Regni inuasionem Regem sollicitasset, & Turcarum classem obtinisset, quæ hæc omnia maria non metu minus, quam velis, remisq; defatigauit. Don Petrus de Toledo Marchio Villæ Francæ qui tunc Pro Rege agebat, non minus de terræ, quam de maris hostibus sollicitus, plures expeditiones fecit plura loca muniuit, precipue vero Camillum unius cohortis pedestris Ducem constituit, qui primò in Castro Maris Stabie, deinde citissime aduocatus ad montis Pausilippi defensionem accurrit, deinde Puteolis, quibus in locis ut par erat se gessit donec prorsus classis Turcica re infecta remeauit ad sua, & Gallica, in qua Princeps erat, (Cæsaris Mormilis fide ne, an infidelitate) delusa recessit. Ortis deinde discordijs inter Pontificem Paulum quartum et Philippum Regem, aduocatisque Gallis per Pontificem ad Regni inuasionem, Camillus ab Albensium Duce Regni ea tempestate Pro Rege, inter primos accitus in expeditione ad flumen Truenti finitimum inter Aprutium & Marchiam, quo Dux exercitu tumultuarie collecto se contulerat, ut Duci Francorum Regis, dicto Monsieur de Guisa, qui magnis copijs ad eam Regni oram peruenerat se opponeret, quo secundum belli exitum habuit: postquam hostis contra Castra nostra Castrametatus, paucis interiectis diebus Galliam re intentata nedum infecta repetijt. Deinde Camillus idem in alia expeditione Ostiam petijt finitimasq; urbis terras pedestri militum manu in utraque expeditione pro sua virtute donatus, muneri, et Ducis opinioni respondit, Expeditioni etiam iuxta flumen Truenti adfuit, & Marcus Antonius frater Primogenitus Fabalis Dominus, equestrum militum manu eidem ab eodem Duce prepositus, Pace mox bellum excipiente, cum in illis expeditionibus Ioannis Francisci Sangri tunc Turris Maioris Marchionis, post Sancti Seuerij Principis titulo & a latere Consiliarij dignitate pro meritis a munificentissimo Rege nostro decoratus, sub cuius Tribunatu Camilli cohors militabat, consuetudinem tantam nactus est, ut raro dissociati

vide-

viderentur, cumq; ad Prouincias Hidrunti, & Bari regendas Marchio Regis ordine ascitus esset ipsum itineris, oneris, & laboris socium voluit, eiusq; in Prouinciam ducti, opera, & consilio in omnibus arduis usus est, cumq; Classis Turcarum per omnem illam oram discurreret vere apparente, ut assolet, ad debiliora loca munienda Camillum destinavit, omni sua in eundem auctoritate transfusa, tam de communicandis ijs, quæ communiri oportebat, quam de Urbium Vigiliarum Molsiti, Brundusij, Gallipolis, Tarenti, & si quæ erant aliæ urbes præcipue, periculo proximæ, in mœnium refectione, & nouorum propugnaculorum extructione; quibus confectis duobus circiter annis tutas, & incolumes consilio, auctoritate manu, ac proprijs capitis periculo easdem urbes ab hostium insultu, & incursionibus reddidit. Neapolim tandem ad exitum vergente anno 1558. reuersus Hieronymi Patruï suasionibus matrisque precibus victus, ad uxorem ducendam animum applicuit, erat nempe ea tempestate Beneuenti Lucius de Morra ex illo Francisco nepos Roffredi Epiphanijs genero, de quo supra meminimus, cuius seriem temporis iniuria, & illius Ciuitatis euerfionibus, & frequentibus incendijs recensere datum non est, cum a Francisco prædicto qui fuit ad annum Domini 1230. usque ad Angelum, uiuentem circiter annum 1420. nullam repererim memoriam, neque inter propria et publica monumenta, neque in schedis Tabellionum illius Ciuitatis, quæ ad id usque tempus non pertingunt, Angelum solummodo habemus, ex quo nati sunt tres filij ignota coniuge, Mercurius, Julius, & Ioannes Thomas.

Mercurius Primogenitus Dominus feudi dicti de Barba iuxta flumen Sebethi contra oppidum Altauille, Castrum Planchitelle et Pagum Ceppaloni uxorem habuit nobis huc usque ignotam ex qua Lauram filiam suscepit, quæ Patre mortuo sub matris tutela adhuc infans remansit nuptui tradita Thomæ de Iudicibus de Vintimilijs nepoti, ut fertur, Episcopi de Vintimilijs, qui tunc temporis Beneuentum pro Sede Apostolica regebat. Ex actis nempe repertis in Archiuo Curie

rie Archiepiscopalis compositis anno 1489. circa matrimonium prædictum apparet, prius promissam Lauram Thomæ, sponsaliaque cum eo contracta, demum penitenti ducta Laura matre, cum nollet matrimonium perficere, adito Iudice Ecclesiastico per Thomam, et in iudicio Laura matremque euocatis, tandem plene Thomæ adiudicata causa. Ex prædictis Thomæ, et Laura natus fuit Laurentius, qui mortuo patre Thomæ alienigena matris cognomen assumpsit, quod denique ad Pompeium, Aureliam, et Iuliam filios transmissit, eoque, quoad vixerunt, usi sunt, licet Pompei filij, quos ex Victoria Bilocta eiusdem Ciuitatis nobili femina suscepit, quibusdam ab hinc annis cognomini de Morra illud de Vintimilijs adiungant, sunt etenim Pompei filij Cesar, qui prius Auditor Decij Cardinalis Carrasæ, dum Nuntij Apostolici in Hispania partes agebat, mox reuerso Terracine Antistes effectus religiose magna que cum laude in Romana Curia viuit.

Iulius frater secundus, qui et Beneuenti uxoratus inter Primarios nobiles vitam ducit, Hypolita de Sindico ex eiusdem Ciuitatis nobilibus in uxorem ducta.

Laurentius Tertius filius Romanam Curiam fraternaque vestigia cum honore, et expectatione profequitur, acceptus omnibus gratusque satis.

Aurelia nupsit Annibali Mascambruno antique nobilitatis familie Beneuenti, ex quo Mutium absque filijs mortuum, et Ioannem Baptistam qui, tota fere ætate in ius dicendi munere transacta præsertim in persequendis Regni exulibus, et pluribus annis in Magna Curia crimina iudicando, tandem cum in Consiliariorum adscribendum numerum in dies speraretur, mors labori et spei filium præcidit, relictis tribus filijs, quorum Fabritius in paterna veniens obsequia ab Excellentissimo Lemensium Comite tunc Prorege ad paterni læti lacrimas exsiccandas, matrisque viduitatem solandam, fidens filium patris notas semitas sequaturum cum Regiæ Audientie Salerni Auditorem destinauit: Nolo autem rem silentio præterire omnium notitia dignam in demortuæ iam prædictæ

Et matris maiorem estimationem; illa namque tam interne viri mortem per sensit, ut paucis diebus intermedijs humi iacens a loco nunquam diuertens, oculis defixis lingua silenti, mortem a Deo quam enixe efflagitando promeruit, nil (percunctantibus Religiosis) respondens, quam optare mori Dei adiuta misericordia: quod autem efficaciter petijt, fideliter est consequuta, nam intra quindecim dies leui febricula correpta præter medicorum opinionem virum sequuta obdormiuit in Domino, eiusque in eodem viri sarcofago contumulata membra quiescunt, animam vero in Cælis habitare credere non vereor, cui tantum Diuina arrisit pietas, ut eius vota secundaret, cui honestos natales, animi præclaram honestatem, pieq; traductam ætatem, vitæ clausula, mortis fatum clariores et splendidiore effecere.

Annibal Sacerdos secundus filius, licet natiuitate Primus, apud suam Maiestatem mortuo patre sub umbra ac tutela eiusdem Excellentissimi Comitum ad propria remeantis reperitur, ibiq; Regio Sacello non sine laude famulatur.

- Julius de Morra secundus Angeli filius vir multi nominis, cuius opera Papæ usi fuerunt in his quæ Beneuenti occurrebant, fuit enim Camera Apostolicæ Thesaurarius, et Arcis Præfectus, in uxorem duxit Isabellam Cossam, ex qua plures habuit filios Gasparem Baldassarem, Franciscum, et Agnesiam, omnes hi masculi absque filijs decesserunt inter illa Ciuitatis dissidia, quæ in duos diuisa populos superiorem partem, et inferiorem nomina conceperunt ad instar Gueforum et Gebellinorum, et Bianchi et Negri, quæ licet ab anno 1480. initium suscepissent, paulatim vires sumendo ad id extremi deuenerunt in anno 1530. ut ad inuicem se nedum ferro, sed igne ad internecionem usque persequerentur, sic quæ omnes fere domus succensæ, bona direpta vicissim videbantur. præualebat una ex factionibus quæ homines, mulieres infantes animalia alterius partis ferro trucidabat, bona diripiebat, domos succendebat, interim profugi alterius partis se iungebant, auxilia hinc inde procurabant, et repente Ciuitatem ingressi alteram fugabant partem eique ad paria

vices

vices rependebant, ferro, & igne nihilo segniore, itaque insultibus usque ad annum 1533. eo deduxerunt miseram Civitatem laceram, ut pene videretur deserta, & in vicis & plateis herbae superbientes ruinas domorum in partem cooperiebant.

Cessavit haec dira pestis anno 1535. Dei misericordia, et opera fratrum Capuccinorum quorum religio illis temporibus initium sumpserat, & pax inita est, In memoriam autem beneficij, et ad persolvendas gratias fuit edificatum templum Divae Mariae de Pace extra portam quae dicebatur antiquitus, summa, hodie porta Castelli mille passibus distans, eisque Patribus Capuccinis donatum in quo sacris incumbent.

Non solum filij Julij ferro extincti in hac calamitate, sed & Ioannes Thomas proditorie occisus ante valvas maioris Ecclesiae a quodam Scannello, de mandato aliorum de Scantacerris, quae familia tunc in ea urbe vigeat, quam deinde Lucius Joannis Thomae filius, et alij coniuncti, & factionis socij, funditus extinxerunt, lactantibus, et in cunis positis non parcentes, Scannellus vero homicida, qui ultra montes fugiens se tutum credebat, idem confossus penas luit, eiusque caput ad Iulium Ioannis Thomae fratrem, & Lucium filium perlatum auri pondere permutatum est, & hac occasione praedia magna quae habebantur prope Civitatem, ubi dicitur Cretarossa, & magna planities quae adhuc nomen retinet, la piana delli Morra venundata, ad alios translata fuerunt.

Agnesina mortuo Iulio patre fuit a Lutio fratre consobrino nuptui tradita Joanni Thomae Seueriano nobili Civitatis Primario, ex quo Iulius, & ex Iulio Lelius, & Antonius Seueriani fratres hodie viuentes. Ampla cessione ab eadem omnium bonorum, & iurium in lucium dotantem conflata.

Ex Ioanne Thoma, et Maria de Vipera coniuge duo superstites fuerunt filij Raphael qui Romae liberalibus studijs vacans vitam peregit, quibus mire profecerat musicae artis praesertim scientia inter alios sua tempestate praestans, Pontificiae Cappellae Magister, Iulioque Tertio admodum carus qui Prior Nepi immature decessit.

Ex

Lucius secundus Ioannis Thomæ filius, factionibus, direptionibus, succensionibus, ac paternæ necis ultione in paupertate redactus, ex coniugio remedium captans, uxorem duxit (dote eo tempore notabili) Ersiliam Scoppa viri nobilis Lucerini filiam, cuius tres alias sorores nobilibus viris nuptas viderat, duas ex eis Marco Antonio de Auria, et Prospero Monaco eiusdem Ciuitatis Luceriæ viris primarijs, Hunc Prosperum nouimus virum strenuum, militiaq; clarum, qui tandem admodum senex in expeditione ad Regnum Portugalliæ anno 1579. legionis ductor fuit, in qua expeditione strenue se gessit, et labores, et vitam, Regi suo satis acceptus, clausit, Et idem scrorem alteram Francisco Carracciolo Baronis villæ Maynæ filio secundogenito nuptam.

Ex Ersilia Lucius duos suscepit filios Ioannem Thomam et Iuliam, Ioannes Thomas non omnino mentis compos, plurimum Patrem fatigauit varijs insanijs, vesaniq; eum pleraq; testantur gesta; Adolescens uxorem duxit, qualem sibi (Patre Patriq; profugo) sodales delegerunt, nobilem licet Lucerinam, etate tamen et alijs ipsi imparem, ex ea unicam filiam suscepit Ersiliam, quæ Monialis professa in Monasterio Sancti Victorini in Ciuitate Beneuenti adhuc laudabiliter viuitt: Lucius filij amentiam perpendens, lapsusque irreparabilem, ne Beneuenti familia omnino excideretur, Iuliæ filie virum eligere excogitauit eiusdem generis, ut sibi successorem bonis, et familie prorogationi consulere, sicque e Neapoli Camillum euocauit eique filiam adiunxit, illinq; decedens, filijs masculis ex dicto matrimonio procreandis heredibus ascitis, implicita tamen suæ ultimæ dispositionis oratione, Ioannem Thomam filium in legitima instituit, inter quos de successione magna lis excitata, tandem pro Nepotibus ex filia, contra filium, Ioannes Antonius Lanarius tunc aduocatus primarius, (qui postea Regius Consiliarius, inde Supremo Italiæ Consilio a Rege ascitus, dum titulo Comitatus sacci honestatus, et Præsidentis S. C. officio insignitus rediret, lanuæ obiit) et Iulius Palumbus Arbitri per partes electi, ludicium dederunt, Partes inde se concordarunt, ampliori parte quam legitima foret,

foret, eidem Joanni Thomæ dimissa, quam de more, breui temporis spatio dilapidauit, inde necessitate cogente sorori, & ex ea nepotibus adherens, penes eos reliquum vitæ transegit.

Ex Camillo et Julia anno 1569. in matrimonio iunctis, plures orti sunt filij, Aloisia, quæ infans ad celos euolauit, Marcus Antonius, et Bartholomæus uiuente Lucio Auonati, post illius mortem Lucius, Cæsar, & Goffredus, Aloisia secunda quæ similiter infans decessit, Victoria, altera Aloisia, Lucretia, Lauinia, & Laura.

Paterna interea auctoritate altercatione composita, quæ inter ante natos, & alios post Aui mortem genitos de successione prædicta suboriri cernebatur, ita tamen ut primi, Patri morem gerendo (quibuscunq; posthabitis) æque alios ad auitam hereditatem admittendos concederent.

Decessit Camillus anno 1603. Primo Iulij, ætatis annorum septuaginta quinque, vir expers literarum, sed naturali facundia, promptitudine ingenij, & affabilitate laudatus, corporistamen breuitate, animi, et virium robore patri similis iudicatus, uiuens Castrum Montis Rocchettæ, inter Beneuenti Ciuitatem, & Montis Fusculi terram, emptione infamilie iurisdictionem redegit anno 1568. locus, is ad vitam letam frugi homini ducendam apprimè aptus, cæli clementia, terræq; amenitate, licet supra collem positus, delitijs affluens.

Victoria nupsit Hieronymo Conturberio, illam namq; socrus primaria femina Laura de Aprano de Sedili Capuanæ adhuc lactantem cum nutrice domum reduxit, adultaq; demum nuptijs perfectis, duobus relictis filijs, satis immaturè persoluit.

Aloisia Tertia in ordine Monialis professa laudabiliter uiuit in eodem Monasterio Sancti Victorini Ciuitatis Beneuenti Hieronymæ nomine permutato, sic et nouissime Laura sacrum induta habitum ibidem Helenæ nomen accepit.

Lucretiam Federico Longo genitores in uxorem dederunt nobili quidem viro, matre Albertina Nolana, & Federici illius ex Ioanne Andrea filio nepotis, qui fisci patronus, dum pro successione Bariensis ditionis ad Regem nostrum pertinentis ex Regina Bonæ dispositione, ad Imperatorem Maximilianum

Iudicem

Judicem ad hanc contentionem dirimendam accitum, contra Poloniae Regis praetensionem (inter viros eruditissimos delectus) festinaret, Venetijs moritur, fortunæ bonis honestatus; is enim ex auita successione, ultra nonnulla bona allodialia terrâ Vinclatorij in Comitatu Molisij possidet civium numero, & opibus satis refertam, vitam quietam ducunt, letamque duxissent, nisi sterilitate premerentur.

Lauinia patre mortuo Thomæ Saxoni viro nobili nupta, viuit pluribus vsque modo filijs aucta.

Marcus Antonius anno 1561. natus, studijs legalibus Patris voto addictus, Doctoratus gradum adeptus se patrocinandum muneris dedit, nec dum triennio expleto supra vigesimum annum uxorem accepit Donnâ Elenam Pinariam Gasparis illius Pinarij siue Piñerij Lusitani filiam, qui Rector prius in Bononiensi Collegio, inde Senarum status in Caroli V. Imperatoris ditionem redacto in eo prius Capitanei Iustitiæ, mox Rotæ Auditoris munere functus, postea quam in Cosmum Florentiæ Ducem fuit ab Imperatore status ille translatus, Neapolim petijt, ubi prius Auditor Prouinciarum Aprutij, inde Iudex Ciuilium Magnæ Curiæ, demum Iudex in Criminalibus, tandem in Consilio S. Claræ ascitus Cõsiliarius effectus, fere annos viginti eo munere functus satis concessit, anno 1588. quo tempore fuerat iam supremi Collateralis Consilij ordinis, a Philippo II. designatus, literis, probitate, & religione apud omnes optimè meritus, sicuti & sanguine conspicuus, de cuius ortu, & genere Vincentius de Franchis, & Ferdinandus Aluarez de Ribera alter Sacri Consilij Præfident, alter Regiam Cancellariam Regens, et a Latere Consiliarius testati fuerunt, pluries ab Excellentissimo Don Perasano de Ribera Alcanorum Duce (huius Regni immortalis memoriæ Prorege) percepisse, Gasparem Pinarium sanguinis splendore ita natum, ut sibi merito compararetur, estq; modo familia ista pene extincta, et Vlyssipone præcipua Lusitana urbe nobilis, et nobilioribus familijs sanguine iuncta, ut illis de Almeida, de Acuña, de Mascarenhas, Galor, y Mosqueyra, nouissime illis de Tello, cuius aliqui multa bona

ad

15.

ad hereditatem Gasparis pertinentia detinent usque modo, ex quo quædam ipsius Gasparis ex sorore neptis, Joanni de Tello uxorata, quæ sola in Lusitania supererat, post aliorum fata, Gaspare tam longe absente, primo eius nomine se curam bonorum habere simulans, demum ut propria retinens omnia occupauit.

Vetus vulgataq; habetur traditio, Pinarios, ex illo ortum ducere Pinario, qui sacerdotij munere apud Herculem fungebatur; Hinc super gentilitijs familie insignibus cristæ loco Aram apponi solitam, & super eam micans ignis hostiam torrens, talibus circumdata notis, Herculea quondam data fuere manu; quali tamen fundamento sciscitanti mihi, id fieri, non aliud percepi; quam, quod ita vetus antecessorum habebat traditio.

Marcus Antonius, uxore ducta, in soceri obsequium id suadentis, dimisso patrociniandi munere, Regio se addixit seruitio fere omnes Regni Prouincias ab anno 1584. Auditoris munere perlustrauit, grassatorum exulumq; persecutoris, reiq; frumentarie pluries, inde utriusq; Mag. Curie Iudicis munere functus, tandem inter Regios Consiliarios Sanctæ Claræ per Filippum Tertium Regem allectus, paulò post Regio Tribunali publicarum Rationum dispungendarum huius Ciuitatis Præfectus, adhuc uiuens utroq; fungitur, annis triginta quinque in his explicandis laboriosè transactis, laudabiliter necne, vel fructuose, aliorum esto Iudicium.

Ex Donna Elena coniuge suscepit filios Don Camillum, Don Franciscum, Don Ioannem, Don Didacum, & Don Enricum, suscepit & filias Doñam Ioannam, Doñam Victoriã, & Doñam Annam.

*His enixa filijs Donna Elena, fatis immature concessit, Mulier corporis forma non indecora, morum probitate, prudentia, ac religione, apud omnes laudata, cuius religionis gradus qualis, quantusq; fuerit, hoc unum ostenderit, quod quadam die cum in præces de more humi prostrata, decumberet, filio trienni apprimè caro, precipiti ex scalis, ruenti, Altriciis clamoribus, omnibus, & patre accurrentibus, ipsa solum
immota*

immuta perstet, ne ab oratione corpus, mentemq; diuerteret, viroq; eam increpanti, respondit, nullibi melius filium in tali periculo adiuturam, quam ubi orans manebat, et verè casus omnium iudicio exitialis, puerum tamen leuissimè læsit, ad cœlos euolauit, ut piè credendum, decima Octobris 1602. primum supra trigesimum agens annum.

Don Didacus quadriennis Matri prædecessit, magnis cum lacrimis parentum tumultatus, ut qui cæteros animi & corporis dotibus fratres præcellebat.

Post matris fatum eidem contumulati fuerunt D. Anna quinq; annos nata, & demum D. Ioannes decimo quinto suæ ætatis anno, vultus, morumq; suauitate decorus, magnæq; expectationis adolescens, nouissimum tubæ sonum exspectant in templo Diuæ Mariæ de Noua, in sacello a latere sinistro maioris Aræ, in quo Beatæ Virginis Assumptio in ycone antiquo depicta colitur, & licet inferius sepulcrum habeatur, Matris tamen, & filiorum ossa, clauduntur in marmorea arca a dextris Altaris supra solum sita, sacellum illud ex permutatione cum Monasterio facta alterius ædiculæ Diuæ Mariæ de Monserrato dictæ, in Ecclesiæ refectionem destructæ ad familias de Morra ex Marco Antonio & Pinarios ex dicto quondam Gaspare descendentes peruenit, ut ex contractu in anno per notarium celebrato Est sacello census annuus addictus ducatorum triginta nouem de annuis centū sexaginta perpetuis. quos heredes Gasparis prædicti percipiunt, ex quibusdam domibus prope fontem plateæ ulmi, in viæ angulo qua de platea itur ad Ecclesiam Diuæ Margaritæ, possidentur per Cæsarem Bocchito emphiteutam, tenenturq; fratres quotidie in Sacello prædicto sacra ministrare, & singulis annis quatuor anniuersaria celebrare.

D. Julia quæ alias D. Ioanna in seculo dicebatur Monialis professa in monasterio Sancti Iosephi Neapolis extra mania ordinis Carmelitani discalceatarum a Beata Theresia instituti letam perducit vitam.

D. Camillus natura debilis, non satis corpore valens legalis discipline cursu peracto, graduq; suscepto, Ecclesiasticæ vitæ de-

Z

ditus

ditus subdiaconatus ordine his temporibus est insignitus.

D. Franciscus naturalis, moralisque Philosophiæ cursu peractō, utriusq; Iuris gradu itidem suscepto in paternæ voluntatis obsequium; liberioris vitæ cursum expetens eo nomine œconomicis negocijs domesticisque, quæ se decent, incumbit, nupsit his temporibus D. Eleonoræ de Januario suæ nouercæ filia, & Alfonsi de Januario Ordinis S. Iacobi de Spada.

D. Henricus ad literas natura propensus, cursum Philosophiæ absolutum decimo sexto anno vix expleto, publice defendit, legalisq; sapientiæ altero cursu consumato decimo nono ætatis anno, vniuersi iuris generales theses propositas in publico gymnasio, assistētibus Excellentissimis Dominis Comitibus de Lemos & Castri germanis fratribus, utriusque Siciliæ Regias Vices Gerentibus, magna cum laude (ipsorum Principum, Magistratum, aliorumq; Illustrium virorum cœtu astantium testimonio) defendit, suscepit nouissime gradum Doctoratus.

Donna Victoria nupta his temporibus Vincentio Como Casalis Noui prope Neapolim Dño, Viro antiquitatis genere claro, & fortunæ bonorum non parum referto.

Vxorem duxit secundo Marcus Antonius anno 1602. D. Catherinam Ordoñez OrtiZ D. Didaci Ordoñez Ortiz, filiam, qui pluribus muneribus Belli, Pacisq; in hoc Regno perfunctus diem clausit extremum dum eum Magnæ Curia Regimini Mirandæ Comes Regni Prorex destinauerat.

Duos alios prius habuerat viros Balthassarem Lopez Hispanū a secretis Principis Petræ Persiæ olim huius Regni Proregis, demum Collateralis Consilij Classisq; Regiæ Annonæ Præfectum, quem Hispani Veditorem vocant.

Secundo Alphonsum de Januario ordine Sancti Iacobi de Spada, cui ab ense nomen insignitum, cumque cum utroque filios procreauerit, tertias nuptias infecundas vsq; modo producit, decimo tertio anno transactō, ipsa adhuc ætate ad procreandum apta, scemina formæ elegantia, sublimi ingenio, animiq; præstantia & viuacitate referta.

Bartholomæus secundus Camilli filius scientiarum experts, ut qui ad eas comparandas durum ab ortu duxerat ingenium,
vena-

venationibus tamen Martisq; laboribus, vir robore & animi instinctu apprime deditus, hisq; vitam ab adolescentia ad consistentem usq; etatem continuo producens, cum scloppum aliquando per lusum exoneraret, ferrum ignis vi ab inferna parte quassatum ei sinistram manum in frustra discerptam protinus ademit, non tamen vitæ consuetudinem manus mutilatio repressit, nec ei impedimento fuit, quin & scloppis, aliorumque armorum generibus uti ut prius valeret: natura ad iracundiam pronus, animi tamen sinceritate, naturali bonitate, priscorum temporum viris, absque fuce, & fallacia comparandus, uxorē mutilatus duxit Lucretiam Egiptiam eiusdem Ciuitatis nobilem, quæ antea Marcum Antonium Filomarinum Neapolitanum Capuanæ Sessionis nobilem habuerat: nedum quadriennio in coniugio transacto decessit Bartholomeus anno 1599. etatis annum agens trigesimum quartum, relictis Vincentio, & Beatrice ex prædicta uxore filijs, Vincentius apud Iuliam auiam paternam, Beatrix in monasterio Sancti Victorini apud Amitas educantur.

Mater ad tertias nuptias conuolans, præuia Ecclesiastica dispensatione, nupsit Antonio Seueriano viro eiusdem Ciuitatis nobili, Agnesinæ de Morra ut supra retulimus ex filio nepoti, qui eidem Bartholomæo & fratribus quarto cognationis gradu tenebatur.

Lucius anno 1569. natus Aui materni nomen parentum voto sortitus, Ecclesiasticæ vitæ deditus, in eaque nutritus ad literas incubuit, adolescentia peracta, & iuuentutis initia pertingens, secularem habitum indutus, Ecclesiasticum exiit, sicq; per nonnullos annos vitæ laxioris (florentis etatis ductu) irretitus, Dei misericordia tandem resipiscens, habitum, Comitæque resumpsit virtutes, Romæ gradum Doctoratus suscepit Primò Sancti Marci de Sabarianis in Ciuitate Beneuenti Ecclesiam Parochialem obtinuit, mox ea resignata Abbas S. Mariæ de Vetrana Ciuitatis Liciensis a summo Pontifice delectus, tandem Marci Antonij fratris suasu, & impulsu Hispaniam petijt, mox Regio Sacello ascitus, in eo quadriennio Philippo Regi sacra ministravit, tandem eiusdem Regis muni-

munificentia Metropolitanae Ecclesiae Hidruntinae Archiepiscopatu ad Regiam (collationem spectante decoratus, domum reuersus eo (iam decennio absoluto) usque modo potitur. nouissime a Summo Pont. Paulo V. ad Serenissimos Principes Austriacos apud Belgas pro Apostolica Sede Legatus. Muneri incumbit demando (nullis parcens sumptibus nullique labori) fide ut par est, prudentia, ac in arduis pertractandis dexteritate, Pontificis opinionioni respondens.

Cesar corpore et ingenio praestans vultus decore, morum suauitate ac lepore, gratiam apud omnes praesertim apud Primarias feminas (cum quibus innotescebat) gratus existens; Matris ira succensa, indicto plus quam par erat obtemperando, mulierem vulgarem praegnantem gladio transfodit, et duplex uno ictu homicidium perpetravit, suscepit adolescens qui vigesimum non expleuerat annum dirum matris mandatum; quae tamen faciem illi tantum cicatricare praeeperat, ex eo nempe quod Lucretiam filiam generumque, temerario pessumdaret Imperio, soceri, ac patris illorum domum et (quod plus est) animum, pro suo disponens, ac deducens arbitrio; itaque feminam, quae domi se tutam credebat aggressus est, quem repente intuita, interius cubiculum ingressa, illudque obserando clamoribus auxilium efflagitabat, sed hostis (per vim tandem reserata ianua) eam ensis ictu transfuerberavit, cum faciem mulier studio refugientem, et declinantem impetere nequisset, vocibus eiusdem mulieris acclamantis pluribus interim accurrentibus anno 1591.

*Hoc fuit flagitium pluribus illius domus piaculis expiandum, quae usque tunc florens, numerosa viriusque generis prole, parentibus letis, nullum aduersae fortunae mortisque ictum experta, mox facinore absoluto, paucorum mensium spatio Victoria (secundum enixa filium) fracta coxa decessit, Bartholomaeus qui illi facinori repente audito casu, occurrit fratrem adiuturus; manum amisit, paucis ab illinc annis, et vitam, tandem et Caesar ipse, exitiali morbo correptus, medicorum auxilio destitutus vitam iam agens, inferijs paratis, experretus seu rediuiuus clamare cepit ut Diui Pauli imago, quae
domi*

domi alibi seruabatur, eidē afferreretur (eaq; adducta) lacrimis et voce, enixe diuo gratias agere cepit, eiq; deuouere perpetuo suo obsequio mancipandum in Diui Templo Neapolis, quod Theatini Patres, alioquin Clerici Regulares incolunt; parentes astantes deprecatus ut suo annuerent voto, ratumq; haberent quod Deo sponte promittebat, quod & factum, mox febris solutum, Medici cum mane sepulturae tradendum existimarent, viuum, & incolumen maxima admiratione viderunt, Caesar voti sponsonem dissimulans, executionem protendens pluriesque morbo correptus, voti reuocatione, ac velocis executionis promissione, continuo soluebatur, sed eam tandem diutius quam par erat differendo, anni termino exacto eodem morbo correptus interijt, numinis vindictam, & suum erratum agnoscens, mortem summa pace suscepit, cum intercessorem magis moriendo propitium sperans, quam viuendo susceperat. Lucretia sterilitate forsā & ipsa partem facinoris (licet innoxia) luit. Iulia et ipsa, nedum in demortuorum tristitia, sed & viuentium filiorum varijs de causis non satis voti compos, quin imo forsā inuisa, usque modo persoluit: Mulier quo fato (ignotū) cuiusue culpa in filiorum decore, quo magis foret humano inuidenda iudicio, eo tristis, remissa, neglecta, & habitu ritae, se plus miserandam exhibeat. Caesar Theatē decessit apud Marcum Antonium fratrem eo tempore in Prouincijs Aprutij Auditorem, qui cadauer balsamo, alijsque aromatibus conditum in matris solamen Beneuentum transmisit, quod multis cū lacrimis ad suos apposuit. Goffredus qui hoc anno 1617. quo hæc scribuntur in Prouincia Principatus ultra Regij Auditoris munere fungitur, in Barensi Regali Audientia eodem prius absoluto munere, ex maribus ultimus Camilli filius, natus anno 1578. Patris Benjamin ab omnibus appellatus, literis operam dedit, legaliq; disciplinæ in Patris obsequium inuitus se addixit, vim naturæ faciendo, quæ ad dulciores & lætiores scientias eum reuocabat, præsertim Poesis, Astrorumq; notitia, Patri, & naturæ, in utroque studio vices persoluit, quatenus tamen satisfecerit, alij iudicent, nam de ipso, & alijs

viuentibus, nihil eorum quæ ad mores, virtutes & vitia at-
tinent dicendum statui, successoribus munus relinquo ut vi-
uentium (postquam fati concesserint) memorias pro meritis
ab interitu vindicent, atque ita fiet, ut talem vitæ tenorem
instituire unusquisq; contendat, qualem ab obitu optaturus
est gloriam, quam natura duce inditum est omnibus appetere
immortalem. Illud autem sibi velim persuadeant qui hæc le-
gerint, in omnium oculis exponenda (veluti in theatro) ipso-
rum virtutes, ac vitia, prout uniuscuiusque peracta vita
meruerit.

Hæc raptim de nostra familia et pro temporis angustijs ut cum-
que collegeram, cum rursus Morræ oppidum Deo bene iuuan-
te in nostræ ditionem familiæ (ducentesimo post anno) quasi
longo postliminio remeauit. Functis si quidem vita & Mar-
gareta eiusque filio Ladislao, quorum decretis statutum fuerat
ut iniuria ablatum oppidum, Iacobo Franciscoq; filio resti-
tueretur, cum Ioanna fraterno potita Imperio, sui Regni que
arbitrium fere omne, Ioanni Caracciolo tradidisset, quem
ex priuata fortuna in magni Regni Senescalli munus & di-
gnitatem euexerat, et qui ut suis solaribus insignibus recenter
assumptis idem palam facere contenderat, ne dum supra lunæ
auges elatus, sed intra solis orbem locatus, solis ipsius radijs co-
ruscabat, cui inter plurimas urbes et oppida elargita hoc idem
tradiderat anno 1418. omnem tum recuperandi spem Oppi-
di Fræscus, noster in ordine Tritæus (Iacobo iam mortuo)
prorsus abiicit; sic Mulier illa Regni potens Impotens sui
amoribus ac delicijs, fratris ac matris decreta; legum iura,
grauissimi (quo se in Regni auspicijs obstrinxerat) iuris iurã-
di religionem post habuit, ac dumodo quod liberet, nihil omnino
pensi habuit quid liceret; Hinc ad eiusdem ser Gianni, here-
des ac tandem ad D. Catherinam Caracciolam D. Caroli
supremi Comitissæ S. Angeli filiam, Vibonësum Ducem deuolu-
tum duo de viginti aureorum millibus a nobis redemptum est?
Redemptum dixi non coemptum, etenim iam istud idem Jaco-
bus præfagierat ac cauerat, cum supplices ea dere ad Mar-
garitam libellos obtulerat exposueratque se ob fidem Regi vi-

ro seruatam, hostili vi ab eius oppidi ditione depulsum, cumque hostem ad illius deditioem pressum ac præ ciborum inopia, fatigatum redeisset, qui cum in summo se positum agnosceret discrimine cum vicinis quibusdam ad oppidi imperium anhelantibus tractationem inhiisse illud in unius ex eis manibus certo pretio recepto relaxare, ea si quidē ad id ratione impulsū q̄ ex solutione prædicta omnis recuperandi oppidi spes veris præcideretur dominis ad paupertatem reductis, eoque magis si pro aucto atq; iustaurato oppido aliqua ad prætium fieret accessio pro redemptione exoluendū, vel saltim cum ipsorum detemptorum lucro maximo relaxandum, quod tamen rei probavit euentus, cum a maioribus nostris perducentos ipsos annos redimendi ius illud non perfectum, sed nequidem tentatum fuisse comperimus. Quod si huiusce rei, sensus aliquis, manes tangit haud mediocri crediderim maiores nostros perfusos esse letitia cum nouerint ad Auitos lares, obliuioni tradita, atque expulsa ex priscis sedibus ossa, ac vagantes si dicere fas est Parentum umbras, ad patria rursus reuocasse, sed de his actenus. Eodem iucundissimo animi sensu perfusos incolas omnes accepimus, cum ad possessionem nostro nomine capeffendam accessit Lucas Mattheus bolbitus a Dyrachio vir q̄ generis nobilitate quod ad Dyrachios reuocat duces, q̄ morum sinceritate clarus, arduis sepe in rebus spectatae fidei nobis intima familiaritate coniunctus, qui ut ipse testatus est, tanto oppidanorum exceptus gaudio, plausu tanto ab inferis ut in vitam ac lucem se reuocatos, ac nō tam oppidum nostræ familie, quam nostram oppido familiam restitutam dicerent.

Equidem est quod Deo gratias agam quam maximas, eique vel hoc nomine plurimum me debere profitear, qui annos meos hætenus produxit, fauitq; ut tanti facinoris ad familie splendorem, nostriq; nominis decus (sane præclarum) author essem et ante vitæ prope occidentis metam, diuturno hoc meo maiorumq; nostrorum voto frustratus non sim, vidisseque promeruerim, meo opere Domum familie familiamque Domui restitutam.

Verun-

Veruntamen ut maiorum nostrorum (quorum nobiliora monumenta in his fragmentis ut cumque complectimur) apud posteros externosque uiuat memoria, ipsisque pene ob oculos obseruentur, super maiorem arcis Portam hæc in marmorea tabula, ueluti rerum summam incidenda curauit.

Oppidum a Gothorum in Italiam descensu, a Laches Gotho Duce, primitus dominatum, Posterisque cum denominatione transfusum; Ex quibus Franzonus sub Totila Italiae Rege Acheruntiae finitimarum Regionum Lucaniae Praefectus? Ezzelinus Robertusque filius, exercituum Rogerij I. Regis Dux: Albertus qui, & Greg. VIII. sum. Pont. Petrus S. R. E. Card. Tit. S. Angeli Franciae, & Angliae Regibus ad pacem inter eos componendam Legatus? Jacobus qui sacri Imperij Vicarius maiorem Italiae partem pluribus annis moderauit; & Henricus sub Federico 2. Cam. Imperialis Mag. Iustit. et in utraq; Sicilia diuersis temporibus Imperialis Praefectus, Extitere. Vi hostium Andegauensium a Iacobo 4. filioq; Francisco eius nomine 2. ro suorum regum fide pugnantibus, ereptum, Marcus Apntonijs a Consilijs Philippi Tertij Augustiss. Regis; Francisci supremi possessoris Trinepos Decimum octauum ab Ezzelino, tertium, & decimum ab Enrico recta successionis serie Locum tenens, laresque & ossa maiorum ad extraneos educta fortuna, sue gentilitati posterisque uirtute restituit.

Faxit idem Deus Opt. Max. e cuius quicquid optabile est largissima profluit manu ut in eius gloriam cedat quod in familiae nostrae cessit decus; et in constanti rerum humanarum inconstantia posterorum sit quam parentum fortuna constantior, neque ab eius loci Imperio rursus decidant quos praeter omnium spem ad eiusdem Imperium noster qualiscumque labor, euexit.

Quod

Quod spectat ad Albertum Cardinalem Tituli S. Laurentij in Lucina S. R. E. Cancellarium qui postea sub nomine Gregorij Octavi ad summum Pontificatus culmen euectus est, cuius fusc supra meminimus, præmittenda nullo modo duxi, quæ de celeberrima eiusdem legatione ad Regem Angliæ refert in suis annalibus ecclesiasticis Cardinalis Baronius, in re sane præclarissima testis luculentissimus. Nam cum sanctissimus Cantuariæ Episcopus Thomas pro ecclesiastica libertate sicariorum gladijs fortiter occubisset, tantique facinoris culpa ad ipsum Henricum regem, passim vulgi sermonibus referretur, visum est Alexandro Tertio (qui tunc temporis Apostolicæ Sedis clauum tenebat) in re totius Ecclesiæ grauiissima Albertum nostrum ac Theodinum Cardinales cum potestate in Angliam destinare, ut de re tota cognoscerent, neque Pontificis spem Albertus frustratus est, qui rem tantam aggressus, adeo eam qua prudenter, qua fortiter ac pro ecclesiastica dignitate perfecit, ut Henricum Regem diademate abiecto, suis pedibus prouolutum exciperet, exceptoque salutarem penam iniungeret, quo facto, in Alberto & animi magnitudo singularis, & egregia quædam, in Martyrem pietas enituit; ob cuius cædem ac sanguinem, nè regiæ quidem Purpuræ parcendum duxerit. Neque sane ambigi posse crediderim quia eiusdem tutela Martyris & tunc eundem Albertum tanquam egregiam ecclesiasticæ libertatis vindicem ad Pontificatum euekerit, & tot postea seculis perpetuis ad Deum precibus, nostram familiam iuuerit, cui eiusdem præsidium nunquam de futuram speramus. Libet hic rem totam ex eiusdem Baronij annalibus tomo 12. anno 1172. adnectere qui legationem hanc recenset his verbis.

Sequitur annus Redemptoris millesimus centesimus septuagesimus secundus, Indictione quinta, quo legatio ab Alexandro Romano Pontifice ad Henricum patrem anno superiori decreta in causa necis sanctis viri Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, peruenit in Northmanniam: quam ipse Rex, qui nuper ex Hibernia redierat in Angliam, inde nauigans

in Northmanniam conuenit; præstititq. quod Regis vere pœnitentis & Christiani esset maxime pijs, parendo in omnibus mandatis vniuersalis Ecclesiæ Papæ; qui per lectissimos ad hoc opus S. R. E. Cardinales præstantissimos viros Theodiuum presbiterum Cardinalem tituli S. Vitalis, qui & tituli Vestinæ dictus, & Albertum itidem presbyterum Cardinalem tituli S. Laurentij in Lucina S. R. E. Cancellarium, quam felicissime rem absoluit. De his dicturi, quomodo scilicet ista tam ardua fuerint actitata summa facilitate, Deo cor Regis ad pœnitentiam disponente; primum omnium illud quod ad tempus spectat, elucidandum: nimirum ista omnia hoc ipso anno fieri contigisse, prout accurate demonstrat Rogerius in ijs, quos tunc scripsit, Annalibus Anglicanis; nempe hoc anno millesimo centesimo septuagesimo secundo ista omnia fuisse transacta, post reditum scilicet eiusdem Henrici Regis ex Hibernia, postquam eam in deditionem accepisset, ut anno superiori est ex eodem auctore narratum. De rebus autem tunc inter Legatos & Regem gestis, primo quidem difficultatibus præpeditis, inde cœlitus aura perflante Spiritus sancti, ex eorundem Legatorum sententia absolutis, extat tunc scripta relatio inter epistolas Sancti Thomæ, & Alexandri Pontificis, in codice Vaticano sæpe citato descripta, his verbis.

Primo dominus Rex & Legati conuenerunt apud Gernam, die Martis ante Rogationes, et ibi inuicem recepti sunt in osculo pacis. In crastino venerunt Sauiniacum, ubi Archiepiscopus Rothomagensis & cuncti Episcopi et proceres conuenerant. Cumque de pace ibi diu tractatum esset, quoniam Rex ab eis cum indignatione discessit in hæc verba: Redeo, inquit, in Hiberniam, ubi multa mihi incumbunt, facienda scilicet: vos autem in pace ite per terram meam, ubi vobis placuerit, & agite legationem, sicut vobis iniunctum est, sic ab eis discessum est. Tunc Cardinales habito arctiori consilio, reuocauerunt Episcopum Lexouiuensem, Ioannem Pictauiensem, et Episcopum Saresberiuensem, & per eos elaboratum est, quod feria sexta sequente Rex, & Cardinales apud
Abris-

Abrincas conuenirent. Ibiq; omnino conuentum est inter eos; ita quod Rex quidquid ex parte Cardinalium ei propositum est, benigne suscepit, et confecit, sed quia Rex filium suum uoluit adesse, ut quod pater promitteret, ille etiam asseueraret: terminus rei dilatus est usque ad sequentem Dominicam proximam, uidelicet ante Ascensionem Domini. Tunc in publica audientia Rex manu sua tactis sacrosanctis Euangelijs iurauit, quod neque mandauit, neq; uoluit, quod Archiepiscopus Cantuariensis interficeretur; et audita morte eius, plus inde doluit, quam letatus est. Addidit etiam ex propria uoluntate, quod de morte patris uel matris sue nunquam tantum doluit. Iurauit etiam, quod quantamcumq; penitentiam ei Cardinales iniungerent, uel satisfactionem, plenarie exequeretur.

Dicebat enim coram omnibus, se intelligere, quod causa esset mortis Archiepiscopi; quod quidquid factum est, propter eum factum est, non quod ipse mandauerit, sed quod amici, et familiares eius uidentes turbationem uultus eius et oculorum, et cognoscentes etiam dolorem cordis, et sepe audientes querula uerba de Archiepiscopo: iniuriam eius absque conscientia ipsius, ulcisci parabant. Et ideo cum omni humilitate et deuotione ad omnia que Legati iuberent, se expositum asseuebat.

Tunc nuntiatum est ei a Legatis, quod alet ducentos milites per annum integrum sumptibus suis, uidelicet unicuique militi dans trecentos aureos in terra Hierosolymitana contra Paganos, secundum dispositionem Temporalium.

Secundo, quod praua statuta de Clarendona, ubi uulgata sunt, et omnes malas consuetudines, que in diebus suis in Ecclesia Dei inducte sunt, penitus dimitteret; si que autem fuerint male ante tempora sua, illas iuxta mandatum domini Pape, et consilio religiosorum uirorum temperabit.

Tertio, quod ecclesie Cantuariensi omnem integritatem suam in terris, et in alijs rebus restitueret, sicut fuit anno antequam Archiepiscopus iram Regis incurreret: et quod omnes, quibus offensus erat propter Archiepiscopum, pacem et amorem red-

redderet, & possessionum suarum plenitudinem.

Quarto, quod si necesse fuerit, & dominus Papa ei mandauerit: ibit in Hispaniam ad liberandam terram illam a Paganis. Iniunxerunt etiam secretius ieiunia & eleemosynas, & alia quadam, quae ad communem audientiam non perueniunt.

Ad haec omnia Rex benignissime assensum praebuit, ita quod coram omnibus dixit: Ecce, inquit, domini Legati, corpus meum in manu vestra est; scitote pro certo, quod quidquid iusseritis, seu proficiscendi Hierosolymam, siue Romam, siue ad sanctum Iacobum, vel quidquid id sit, paratus sum obtemperare. Ita, quod fere cuncti qui aderant, videntes humilitatem & deuotionem eius, non poterant lacrymas continere.

His expletis, ne quid ad boni consumationem eius deesset, deduxerunt eum Legati ex propria Regis voluntate extra ostium ecclesiae; ibique flexis genibus, non tamen exutis vestibus, neque verberibus apposis, absolutus est, & in Ecclesiam introductus. Et ut aliqui de regno Francorum haec ita processisse cognoscerent: statuerunt, quod Archiepiscopus Turonensis et Suffraganei eius coram Rege et Legatis praesentiam suam exhiberent apud Cadomum, proxima die Martis post Ascensionem Domini. Quod Rex iurauit, filius suus Rex manu sua firmavit in manu domini Alberti Cardinalis, se ex parte sua obseruaturum. Quod si Rex vel morte, vel alia causa praepeditus poenitentiam istam complere non poterit, quod ille perficiet. (haec tenus relatio. Cui consentientes sunt de his litterae Cardinalium, quarum est exordium: Ne in dubium veniant, quae geruntur &c.) Additum eis, quod sequenti Natali die Domini accepturus esset Crucem, & per triennium militaret in Terra sancta, nisi aliter visum fuerit Alexandro Pape, vel eius legitimo successori. Porro ipsum iuramentum Regis, et filij eius, in manibus Legatorum exhibitum, integrum asseruatur in actis ipsius Alexandri Papae ita descriptum:

Ego Henricus Rex iuro super haec sancta Dei Euengelia, quod mortem

mortem Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis neq; cogitavit,
 neque sciuit, neque fieri præcepi. Et quando cognoui factum
 ipsum perpetratum, tristis effectus sum magis, quam si meum
 proprium filium cognouissem interfectum. Sed in hoc me non
 valeo excusare, quod occasione commotionis, & iracundie
 meæ, quam aduersus sanctum virum conceperam, interfe-
 ctus fuit. Porro pro huiusmodi reatu, quia causam mortis
 eius dedisse videor: milites ducentos sub expensis meis ad de-
 fensionem Christianitatis absque dilatione Hierosolymam
 destinabo per annum ibidem permansuros, vel tantum eis
 persoluam, unde totidem milites ibi per annum valeant com-
 morari. Signum quoque Dominicæ Crucis usque ad trien-
 nium accipiam, & in propria persona illuc proficiscar, nisi de
 Romani Pontificis licentia remaneam. Illicitas consuetu-
 dines, quas temporibus meis in tota terra mea introduxi, pe-
 nitus casso, & ex hoc minime obseruari decerno. Appellatio-
 nes vero ad Apostolicam Sedem de cetero libere fieri permit-
 tam, & in hoc neminem prohibebo, (et alia ut supra in præ-
 notatis capitibus, atque demum: Præterea ego & maior fi-
 lius meus Rex iuramus, quod a domino Alexandro Papa &
 eius Catholicis successoribus recipiemus et tenebimus regnum
 Angliæ; & nos et successores nostri in perpetuum non repu-
 tabimus nos Angliæ Reges, donec ipsi nos Catholicos Reges te-
 nuerint, (ita in actis Alexandri Papa. At hæc licet postre-
 ma in Legatorum Cardinalium schedula non continentur,
 sed hæc tantum: Iurauerunt ambo, quod a vobis & successo-
 ribus vestris non recedent, quandiu eos sicut Christianos Re-
 ges et Catholicos habueritis:) ita in publicis tunc de his conse-
 ctis monumentis proxime recitandis: tamen confirmatur esse
 verum, nempe quod regnum Anglorum sit feudum Aposto-
 licæ Sedis, ex litteris ipsis eiusdem Henrici Regis, sequenti an-
 no suo loco reddendis, hæc ex Rogerio eiusdem seculi auctore
 in Annalibus Anglorum, cuius quoque testificatione illud
 compertum habetur, quod hæc omnia facta tempore Ascen-
 sionis Dominicæ, repetita sunt in Concilio vniuersæ provin-
 ciæ, habito mense Septembris, ubi contigit eosdem Legatos, si-

mulque Reges patrem & filium cum Episcopis conuenire, ait enim.

Hericus Rex Angliæ pater; & Henricus Rex filius eius, & Rotrodus Rothomagensis Archiepiscopus, et omnes Episcopi, et Abbates Northomanniæ conuenerunt apud Abrincam ciuitatem in præsentia Theodini, et Alberti Cardinalium. In quorum audientia Rex Angliæ pater, quinto Kalendarum Octobris, feria quarta, festo Sanctorum Cosmæ et Damiani martyrum, in Ecclesia Sancti Andreae Apostoli purgauit innocentiam suam coram prædictis Cardinalibus, et omni Clero et Populo, præstito sacramento super Sanctorum Reliquias, et super Sancta Euangelia, quod ipse nec præcepit, nec uoluit quod Archiepiscopus Cantuariensis occideretur &c. ut supra, apponit ad hæc publicum de his tunc confectum instrumentum, cui ista præmittit: Et ut hæc in memoria Romana Ecclesiæ haberentur, Rex pater fecit apponi sigillum suum scripto illi, in quo supradicta capitula continebantur, una cum sigillis prædictorum Cardinalium, in hanc formam.

Henrico Dei gratia illustri Regi Anglorum Albertus tituli S. Laurentij in Lucina, & Theodinus tituli S. Vitalis præbyteri Cardinales, Apostolicæ Sedis Legati, salutem in eo, qui dat salutem Regibus.

Ne in dubium veniant, quæ geruntur, & usus habet, & communis consideratio utilitatis exposcit, ut scripturæ serie debeant annotari: inde quidem est, quod nos mandatum illud in scriptum duximus redigendum, quod uobis pro eo facimus, quia malefactores illos, qui sanctæ memoriæ Thomam quondam Cantuariensem Archiepiscopum occiderunt, occasione motus, & turbationis, quam uiderunt in uobis, ad illud facinus processisse timetis. Super quo tamen factò, purgationem in præsentia nostra de uoluntate propria præstitistis, quod uidelicet, nec præcepistis, nec uoluistis, ut occideretur. Et quando peruenit ad uos, plurimum condoluistis. Ab instanti si quidem festo Pentecostes, usque ad annum, tantam dabitur pecuniam, unde ad arbitrium Fratrum Templi ducenti

centi milites valeant ad defensionem terræ Hierosolymitanæ per spatium unius anni teneri. Vos autem a sequenti Natiuitate Domini usque ad triennium accipietis Crucem, proxima tunc estate illuc in propria persona, ducente Domino, profecturi, nisi remanseritis per dominum Papam, vel Catholicos successores eius.

Sane si contra Sarracenos pro urgente necessitate in Hispaniam profecti fueritis: quantum temporis fuerit, ex quo arripueritis iter, tantundem supradictum spacium Hierosolymitanæ profectionis poteritis prolongare. Appellationes nec impedietis, nec impediri permittetis, quin libere fiant in ecclesiasticis causis ad Romanum Pontificem bona fide, et absque fraude, et malo ingenio, ut per Romanum Pontificem cause tractentur, et consequantur effectum suum; sic tamen, ut si vobis suspecti fuerint aliqui, securitatem faciant, quod malum vestrum, vel regni vestri non querent. Consuetudines, quæ inductæ sunt contra Ecclesias terræ vestræ, in tempore vestro penitus dimittetis, possessiones Cantuariensis Ecclesie, si quæ ablatæ sunt in plenum restituetis, sicut habuit uno anno, antequam Archiepiscopus, de Anglia egrederetur. Clericis præterea, et laicis utriusque sexus pacem, vestram in gratiam, et possessiones suas restituetis, quibus occasione prænominati Archiepiscopi destituti fuerunt. Hæc autem vobis auctoritate domini Papa, in remissionem peccatorum vestrorum iniungimus, et precipimus obseruare absque fraude, et malo ingenio. Hoc sane coram multitudine personarum iurauistis vos pro diuinæ reuerentia maiestatis. Iurauit et filius vester, excepto eo, quod personam vestram specialiter contingebat. Et iurastis ambo, quod a Papa domino Alexandro, et Catholicis successoribus eius, quam diu vos sicut antecessores vestros et Catholicos Reges habuerint, minime recedetis. Atque ut in memoria Romanæ Ecclesie firmiter habeatur, sigillum vestrum præcepistis apponi.

Post hæc autem idem Rogerius his subiicit Legatorum epistolam, tunc temporis datam ad Rauennatem Episcopum, quas res tunc gestas scripsere, sic se habet.

Vene-

*Venerabili in Christo & dilecto fratri Gilberto, Dei gratia
Rauennensi Archiepiscopo Albertus dignatione diuina
tituli S. Laurentij in Lucina, & Theodinus tituli S. Vita-
lis, presbyteri Cardinales, Apostolicæ Sedis Legati, quod pro-
miserit Deus diligentibus se.*

*Quoniam desiderare vos credimus, ut de statu nostro, & de
iniuncti nobis promotione negotij aliquid audiat, idcirco qua-
liter nobiscum, et per ministerium mediocritatis nostræ Deus
egerit his diebus, fraternitati vestræ præsentis scripto duximus
indicandum. Noueritis itaque, quod postquam illustris Rex
Angliæ venisse nos in regnum suum in veritate cognouerit,
totius amoto tarditatis obstaculo, de Hibernia in Angliam,
incumbentibus sibi negotijs prætermisissis, de Anglia vero ad
Northmanniæ partes accessit, atque incontinenti plures ad
nos Nuntios & honorabiles destinauit, inquirens a nobis, in
quo loco potius conuenire cum eo, et loqui vellemus. Placuit
tandem ad Sauinium monasterium pro colloquio habendo
concurrere, ubi religiosorum virorum possemus orationibus
adiuari. Conuenimus illuc, conuenerunt et multæ perso-
næ utriusque ordinis de regno suo, & tractauimus diligentia,
qua potuimus, quod ad salutem ipsius, & iniunctam nobis
obedientiam pertinebat. Cum autem non possemus in omni-
bus conuenire, recessit a nobis velut in Angliam profectu-
rus, et nos expectauimus, sequenti die ad Abrincam ciuita-
tem ituri. Postera autem die venerunt ad nos Lexouiensis
Episcopus, & duo Archidiaconi, & concesso quod petebamus,
ad prædictam processimus ciuitatem. Ad quam, Dominica
qua cantatur, Vocem iucunditatis, conuenimus cum per-
sonis plurimis, & ipsi nobiscum. Et cum tanta humilitate,
quod fuerat conditum expleuit, ut illius extitisse opus sine
dubitatione credatur, qui respicit terram, & facit eam tre-
mere. Sane quam timoratum Deo, quam obedientem Ec-
clesiæ se curauerit exhibere, non est opus præsentis abbrevia-
tione referre. Satis enim opera illius manifestant, & ma-
nifestabunt adhuc plenius, sicut et nobis spes data est in
futurum.*

Pri-

Primum itaque super morte sanctæ memoriæ Thomæ quondam Cantuariensis Archiepiscopi, non de nostra exactione, sed de propria voluntate, tactis sacrosanctis Euangelijs, suam conscientiam expurgauit, iurans scilicet, quod nec præcepit, nec voluit, quod idem Archiepiscopus occideretur; et quando audiuit, vehementer doluit. Quia vero quod factum fuerat, ex sua occasione factum esse timebat: de satisfactione paranda tale præstitit iuramentum. Primo quippe iurauit, quod a domino Papa nostro Alexandro, et eius Catholicis successoribus non recedet, quamdiu sicut Catholicum Regem habuerint eum, et Christianum. Et hoc ipsum iurare fecit filium suum maiorem in charta absolutionis pro morte Beati Thomæ. Iurauit etiam et alia, Clero, et populo valde necessaria, quæ omnia diligenter, et per ordinem, sicut ea iurauerat, in absolutionis eius charta pernotauimus. Promisit etiam et alia de libera voluntate gerenda, quæ non oportet scripturæ serie denotare. Hæc autem scripsimus, ut cognoscatis ipsum obedientem Deo, atque ad diuinum obsequium multo amplius quam adhuc fuerit, animatum. Noueritis ad hoc filium suum de prædictis consuetudinibus pariter cum eo iurasse. Sane, quod ibi factum est, iterato adhuc, ne dubitationis locus alicui remaneret, apud Cadomum in maiori frequentia personarum publice statuit se acturum. Relaxauit præterea Episcopos de promissione, quam ei fecerant de consuetudinibus conseruandis, et promisit quod non exiget in futurum, hucusque Legatorum epistola, pergit auctor.

In crastino autem prædicti Cardinales ibidem celebrarunt magnum Concilium cum Archiepiscopo, et Episcopis, et Clero Northmanniæ, et ibi hæc decreta subscripta statuerunt, et uniuersis firmiter et inuiolabiliter obseruanda iniunxerunt. Decreta per Theodinum, et Albertum Cardinales apud Abrincas promulgata.

Pueri ad regimen illarum Ecclesiarum, et ad illa administranda, in quibus cura est animarum, minime admittantur.

Item filij sacerdotum non ponantur in Ecclesijs patrum suorum. Item laici partem oblationum in Ecclesia non percipiant.

Dd

Item

Item Ecclesie Vicarijs annuis non committantur.

Item sacerdotes maiorum ecclesiarum, quibus ad hoc suppetunt facultates, alium sub se presbyterum cogantur habere.

Item sacerdotes non ordinentur sine certo titulo.

Item Ecclesie ad firmam annuam non tradantur.

Item de tertia parte decimarum nihil presbytero, qui seruit Ecclesie, auferatur.

Item his, qui decimas hereditario iure tenent, licentia sit, cui voluerunt, idoneo clerico dare, eo quidem tenore, ut post eum ad Ecclesiam, cui de iure competunt, reuertantur.

Vir ad religionem non transeat, uxore in seculo remanente, vel e conuerso, nisi ambo vacandi operibus carnis tempus excesserint.

Item in Aduentu Domini, omnibus qui poterunt, maxime autem clericis, et militibus, ieiunium, et abstinentia carniū indicatur.

Item clerici iudices non ponantur ad iurisdictiones secularium potestatum administrandas. Qui autem hoc presumpserint, a beneficijs ecclesiasticis arceantur.

Item de nouis libris excommunicatorum, et rebus morientium, quas auferunt sacerdotes, benedictionibus sponsarum, et baptismo, et de quadraginta et octo libris, quæ pro absolutione excommunicatorum exiguntur, nihil perfectum est, quia Episcopi Northmannie illud decretum recipere noluerunt.

In eodem vero Concilio Archiepiscopus Turonensis calumniatus est, Archiepiscopatum Doli debere adiacere Archiepiscopatu suo, affirmans sedem Archiepiscopalem ibi esse non debere. Sed Clerici de Dolo constanter contradicebant, hætenus de rebus gestis per Legatos, qui antequam recederent, has ab Alexandro Pontifice litteras acceperunt de reconcilianda ipsa Ecclesia Cantuariensi, tam enormi sacrilegio polluta.

Mandamus vobis, quatenus Ecclesiam Cantuariensem faciatis reconciliari: ita tamen, ut sacramentum pristinae dedicationis non debeat iterari. Sed sicut solet fieri in Ecclesia Beati Petri, tantum aqua benedicta aspergatur, hæc ad

Le-

Legatos Alexander Papa. Legati autem ad Cantuariensis ministros Ecclesie ita scripserunt:

Letamur nos, letatur et que audiat congregatio uniuersa iustorum, quod mortem sancte memorie Thomae quondam Archiepiscopi vestri ita in conspectu suo Deus pretiosam ostendit, et venerandam eius memoriam tot miraculis illustrauit, ut odor unguentorum ipsius iam fere per totum corpus Ecclesie se diffundat, et virtus eius in Oriente et Occidente communiter predicetur; ita ut qui felicibus illius actibus, dum viveret, inuidebant, nunc casibus humanis ea exempto, et ad superiorum societatem (ut credimus) fide ac zelo sacerdotali promerente, translato, venerentur virtutem ipsius, et ea qui facit mirabilia magna solus, gratiarum referant actionem. Quia igitur videtur idoneum, ut cum magalia, que apud vos facta populorum turba decantet, et gratiarum actio, et vox laudis resonet in communi Ecclesia vestra, quam tanto munere gratia diuina donauit, sub atrocitatis obtentu diutius non debeat a Conditoris laude cessare: Reddentes vobis mutue salutationis alloquium, et petitioni vestre deuoto concurrentes assensu, fraternitati vestre mandamus, quatenus conuocatis Episcopis et Abbatibus prouincie vestre, qui vobis ad hoc idonei visi fuerint, cum solemnitate Ecclesiastica (sicut maioribus visum fuerit) moderamine, denuo Ecclesiam vestram consecretis. Si quid minus fuerit in solemnitate, diuinorum miraculorum poterit illustratione suppleri. Nos sane, si aliquid fuerit, quod ad profectum vestrum et vestre Ecclesie facere valeamus, quantum cum Deo poterimus, libenti animo faciemus, haec legati Apostolicae Sedis, qui eiusdem Pontificis Alexandri admonitione, diligentissima facta peruestigatione miraculorum gloriosissimi martyris Thomae, relationem plenissimam de ijs omnibus ad Alexandrum Pontificem miserunt. Quibus visis ipse absque mora ad solemnem Martyris canonizationem faciendam sese totum conuertit, testatur id ipse in litteris postea datis, inferius recitandis de canonizatione, ipse.

Sic igitur quot miraculis, tot diuinis innotuit testimonijs, atque testi-

*testificationibus patuit, Deo ipsi gratissimam nauare ope-
 ram, et coronis dignam non solum, qui pro Fide Catholica
 illibata seruanda persecutoribus exhibent se necandos, sed
 etiam qui pro iuribus bonisque. Ecclesie conseruandis, et re-
 petendis ablati, caput satellitibus offerunt pracidendum.
 Cuius occasio subeundi martyrij haud longe ab infidelibus
 perquirenda, sed unicuique Episcopo praesens semper immi-
 neat, si quod sui est muneris, numeris omnibus laboret im-
 plere. Reuertentes autem Legati intulerunt in Urbem sacra
 pignora noui Martyris, nempe quod super Ecclesie pau-
 mentum aspersum fuit eius capitis cerebrum, necnon eius tu-
 nicam ipsius sanguine cruentatam, quae haecenus religiose
 asseruantur in basilica Sanctae Mariae Maioris.
 Hac de Alberto.*

Ad Petri Cardinalis relata Appendix.



D ea quæ de Petro S. R. E. Cardinali Tituli Sanctæ Mariæ in Aquiros supra retulimus, super adenda censui attingendo tantum, quæ nefas esset silentio præterire Illustria si quidem eius gesta aliqua, quæ ex Neubrigensi collecta sunt monumenta quibus etiam clarius percipientur ea quæ supra diximus de sacra militia eius monitu contra hereticos Albri-genses instituta, is enim legatione defunctus apud Galliarum, & Angliæ Reges ad quos a Pontifice pacis auctor missus fuerat, totum se ad nefariam heresim antequam radices altius figeret funditus euellendam conuertit, eidem muneri destinatus ab Innocentio Tertio tanquam, ut aiunt, a latere legatus; quæ in re cum adiutorem haberet egregium Diuum Dominicum Illustrissimæ Prædicatorum familiæ institutorem ac Patrem, dulcissima eius consuetudine, quæ familiarissime usus dicitur, laboribus eum maximis leuatum ac recreatum crediderim, quos in durissima prouincia, plenaq; periculi pertulit, donec coacto ab eodem Cardinali consilio in monte Pef-sulano, consensu Patrum decreuit Comitatum Tolosæ, quæ Vrbs heresis caput erat ac sedes, ac Prouinciam reliquam, quæ legati parebat imperio, in Comitem Montis fortis virum fortem ac strenuum, atque ab eodem Legato ducem contra hereticos sacre Militiæ constitutum transferre, cuius postea opera debellata tandem improbitate pax Ecclesiæ restituta est. Extant hæc quæ diximus ac pleraque alia in historia Albigentium, & belli sacri, auctore Petro Monaco Cister-siensi, in qua idem Petrus Beneuentanus dicitur, quem etiam ex Panuinio, & Ciacconio nostræ familiæ & Beneuenti ortum didicimus: neq; reuocari potest in dubium quin & Gregorio nostro cognatione uinctus fuerit qui paucis ante annis decesserat.

Ad Iacobi & Goffredi aliorumque de Familia in Federicum
coniurationem cum alijs Regni Proceribus habitam.



Irc ea, quæ diximus de conspiratione aduersus Federicum, licet res satis ipsa se laudet, auctoresque suos, illud tamen omnino animaduertendum censeo, eos, quo magis diuitijs, & dignitate præstabant eo esse in omnem posteritatis memoriam maiori laude, ac commendatione dignos, quod his omnibus posthabitis pro communi Europæ totius, ac præsertim Italiae bono, pro sanctæ Sedis Apostolicæ dignitate tuenda, pro patria fide orthodoxa, pro Christo; Vt Elcesis? religionis, ac pœne dixerim totius humani generis hostem, à nefarijs cœptibus remouerent, fortiter animas prodegerunt. Nequè enim tot eximios Regni Proceres bonis omnibus affluentes, ac pœne in summo fœlicitatis apice constitutos quicquam aliud, ad opus tam periculose plenum aleæ impellere potuit quam Reipublicæ, quam Religionis, quam Ecclesiæ, quam Christi amor, pro quo diuitias, honores, se suaque omnia contempserunt; neque enim ad idem bellum, diuitiarum eos cupiditas impellere potuit cum ut Federicus ipse testatur in Epistola ad Christianos Reges, quam infra commodius nectemus, eorum bonis ærarium maxime auctum, ac locupletatum sit, neque quod alicui ex aulicis, qui Federico carior esset, inuiderent contra eundem arma sumpserunt cum ipsi, tunc apud Imperatorem, qua auctoritate, qua gratia cœteris omnibus antecellerent sed vnice Dei Zelus illos tum impulit, qui tunc etiam vel ipsum filium aduersus patrem armauit, nam Henricus quoque Federici Filius Imperij destinatus iam hæres, cum nihil apud Patrem precibus profecisset, contra eundem cum nonnullis alijs Germaniæ viris Principibus coniurauit; quare mirum non est si in tam pia causa, quæ ipsius in Parentem filij pietatem vicerat, in Italia etiam tot nostræ familiæ proceres in Tyrannum ipsum corespirarent, quod non sine publico consilio multis alijs in Italia viris Principibus atque ipso Christi Vicario non permittente solum, sed etiam

etiam hortante, ac suadente perfecerunt, hæc omnia præter ea, quæ ex Joanne Villano, ex Diuo Antonino, alijsq; summæ auctoritatis scriptoribus clarissime hausimus, comprobantur etiam è tribus eiusdem Federici Epistolis, quas refert in libello Epistolarum Petrus de Vineis una scilicet lib. 3. c. 26. Ferdinando Regi Castelle; Altera Prælati, & Clericis Regni Sicilia ubi eos de morte Henrici filij certiores facit lib. 4. c. 1. Tertia quæ ad Principes dirigitur lib. 2. c. 10.

Regibus, & Principibus deproditoribus suis, & Perusinarum conflictu.



*N*E fama præambula, quæ multorum variata re-
latibus, dum varias inuenit nouiter voluntates
interdum enormiter à varietate discedit, audi-
tum vestrum forsitan offenderet, amicorum cor-
da turbaret, animos & aures hostium demulce-
ret: ecce quod ipsam puram & nudam veritatem eorum, quæ
nobis nouiter contigerunt vestræ dilectioni, presentibus seria-
tim & breuiter denotamus. Conspirantibus itaque in necem
nostram aliquibus Excellentie nostræ fidelibus, quinimo do-
mesticis potius & alumnis, videlicet Tybaldo Francisco.
Pandulfo de Fasanella, Guilhelmo de Sancto Seuerino, &
eorum complicibus: nobisque per aliquos ex coniuratoribus
factionis ipsorum coniuratione nefaria reuelata, ex ipso-
rum manibus vitam nostram innoxiam Dominus mira-
biliter reseruauit. Sed cum nos tantum scelus sicut imme-
ritum, sic incredibile, primitus haberemus, priusquam
ad ulteriorem veritatis indaginem nostra Serenitas per-
uenerit, subito Pandulfus de Fasanella; Iacobus de Mor-
ra excogitate malitiæ Principes, quos lesa conscientia stimu-
labat, una cum alijs socijs & principibus perpetrandi faci-
noris, in Curia nostra presentibus, se perfugæ subsidium ab-
sentarunt. Tybaldus verò et Guilhelmus prædicti, moran-
tes in regno, & ibidem mortis nostræ nuncium tanquam in-
dubitabilem expectantes, ex insperato contrarium audientes,
metu

metu terribili, velut de caelo fulminis ictu percussi, ad duo ex castris nostris, Capuacium videlicet et Scalam, sub fidelium habitu, furtiuè subrepto, proditori confugerunt. Vbi priusquam se possent rerum & hominum defensione munire, fuerant prompta fide regnicolarum præoccupati fidelium, & collectis undique viribus circumsepti. Nos etiam apud Grossetum tunc temporis existentes, postquam perfonæ nostræ periculum cautè præuidimus, in hæreditario Regno nostro Siciliae, velut in pupillam oculorum nostrorum offendi nullatenus patientes, continuatis laboribus & diebus, in Regnum cum omnium celeritate præuidimus procedendum. Post felicem autem ingressum in Regnum nostræ Maiestatis, quàm plures fideles nostri regnicolæ, qui ad proditorum nostrorum falsæ suggestionis instantiam per mentitæ mortis nostræ spem friuolam, conspirationis factionibus adhæserunt, postquam rem incontrarium sibi cessisse videntibus, veritatis lumen emicuit: proditores eosdem tanquam ipsorum nolentes communicare versutis, cuiuslibet spei frustratos imaginem reliquerunt. Et cum non nisi duobus prædictis castris tantum Scale videlicet & Capuacij se temerè prout scripsimus recepissent, unum ex castris ipsius Scale videlicet Thomasio de sancto Seuerino et filio eius proditoribus nostris, ibidem nostri carceris custodiæ mancipatis, fidelium nostrorum regni prompta deuotio, per virilem & instantem expugnationem ipsius, ad Maiestatis nostræ dominium reuocauit. Et sic reliquo tantum ex castris ipso Capuacio scilicet, aduersionis eiusdem proximè diffuso, diffugio, quod circumcingi nostrorum fidelium clara deuotione mandauimus, proditores prædicti, quibus nulla prospicimus suffragatiua remedia, velut ex duobus prædictis castris cum alia munire nequiverunt, uno & fortiori perduto, manus nostras effugere non valebunt. Et sic tam iusto iudicio quam veloci, de proditoribus nominatis & eorum sequacibus ultione recepta, sic in breui confidimus de perpetua regni nostri securitate disponere, ut nobis et successoribus nostris in regno, vel extra regnum agentibus, nulla prorsus in posterum dubitatio relinquatur. Non tamen

pro-

propterea circa persecutionem nostrorum rebellium omissum fore credatis nostrum propositum, vel aliquatenus intermissum: quin per dilectos filios nostros Henricum illustrem regem Sardiniae, in Italiae partibus generalem legatum, et Fredericum de Antiochia, Tusciae partibus praesidentem, quousque nos regni nostri statum, cum salubritate dispositum, personaliter accedamus, deputauerimus Italiam gubernandam, ut sic proditorum nostrorum et rebellium reliquias, in aduentu nostro continuatae potentiae nostrae malleo conteramus: quod potentiam nostram, quam sicut pro certo comperimus, occultis et longis insidijs procurarunt offendere, fructuosam sibi fore non sentiant: quin potius de nostra praesenti potentia doleant, quanquam in absentia glorientur. ut pote cum nihil ex ijs quae nouiter emerferunt Magnificentiae nostrae decreuerit, et in nullo propterea sit nostrum aerarium diminutum. Sed tantò magis est adaucta nostra potentia viribus, tantò factae sunt diuitiae largiores, quantò propter enormitatem excogitati facinoris, quae post pacis gustatae dulcedinem guerrearum excidia minabatur, circa nos et nostrorum fidelium (popularium maxime) est accensa deuotio fidesque firmata. Ex adiectione quoque reddituum, de quibus proditorum nostrorum iniquitas eos propter offensam spontè destituit, et quibus eosdem liberationum nostrarum adauctus est cumulus. quanquam istud acciderit nobis renitentibus et inuitis. Ex quo potest manifestissime comprehendi, quod magna quaerendorum et larga promissio, per publicum aduersarium nostrum facta, proditoribus antedictis ipsos ad dimittenda quaesita, licet inaniter, prouocauit. Cuius aduersarii nomen et titulum libentissime taceremus, nisi quod vox publica detegit, et euidentia factorum accusat: quam nos taciturnitate nostra vellemus obtegere, seu verborum inuolucris excusare. Praefati namque facinoris patratores, tam fugitiui videlicet quam obsessi, Fratrum Minorum stipati consortio, crucis ab eis contra nos signo recepto, auctoritate summi Pontificis per Apostolicas literas praetendentes, negocium se gerere Sacrosanctae Romanae Ecclesiae matris praedicant, et praedictae mor-

tis et ex hereditationis nostræ, summum Pontificem asserunt
 authorem. Hoc ipsum captiui præfati, quos in expugnatio-
 nem Castri Scalæ nostrorum deuotio prompta fidelium, car-
 ceri mancipauit, in re spontanea & extrema confessione sua,
 quam mentiri nefarium estimant morientes, coram omni-
 bus, prob pudor, sunt confessi. Barenfis etiam Archiepisco-
 pus, cum post venalem consecrationem suam, cornutus à
 Curia Romana rediret, priusquam à nostris fidelibus, in
 Thuscia caperetur, futurum infallibiliter publicè prædica-
 uit: quod nos infrà breue tempus per familiares nostros atque
 domesticos occidi morte turpissima deberemus. Hoc nos, teste
 supremo iudice, cum verecundia loquimur, velut qui nun-
 quam diebus nostris, scelus huiusmodi videre credidimus, nec
 audire, quòd gens nostra & Pontifices nostri tam crudeli
 morti tradere nos nequiter voluissent. Absit enim à nobis
 semper, huc usque nouit altissimus, abominatio talis, quòd
 etiam post voluntarium & iniquum Papæ processum, contra
 nos in Lugdunensi Concilio celebratum, in necem suam, vel
 alicuius ex fratribus consentire vellemus, quanquam nos fue-
 rimus per nonnullos nostræ fidei zelatores multotiens requi-
 siti: sed sola semper extitimus iniuriarum nostrarum propul-
 satione contenti, nos iustè defendere, non ulcisci, sufficienter
 reputantes: pugnat enim pro nobis euidentissimè Dominus,
 qui nedum, quòd animam nostram de manibus inimicorum
 nostrorum eripiat, quinimò nocentium vires & corpora tra-
 didit in nostras. Nuper enim Cardinale Raynerio, nostri
 nominis & honoris æmulo, instigante Iacobo de Morra,
 proditore nostro, cum Perusinis & alijs eis assistentibus rebel-
 lib. nostris prope Castrum Spolli, vltima die proxima præ-
 sentis mensis Martij, ad damnificationem nostrorum fide-
 lium procedente, Marinus de Ebulo fidelis noster, in ducatu
 Spoletano vicarius generalis, quorundam Theutonico-
 rum, qui sic instanter haberi poterant, munitus auxilijs, in
 virtute nostri nominis, et Excellentie nostræ nec non felici
 fortuna, hostes nostros viriliter ac potenter aggrediens, fide
 potius quàm multitudine præditus armatorū, deuicit eosdem:

ita,

ita, quòd præter eos qui fidelium nostrorum gladijs sunt perempti, ultra decem millia de rebellibus ipsis, per fideles nostros captos, carcer noster includit. Nec tamen his terminis, nostram & vestram claudi læticiam, prosperæ fortunæ felicitas, & nostræ iusticiæ debitum permiserunt. Octavo namque decimo die presentis mensis Aprilis, Ciuitas Capuacij, cuius versus terram munitio circum cingebatur, celeriter et viriliter extitit expugnata per fideles nostros regnicolas, ad infidelium necem, ob vindicandam non magis nostram, quàm ipsorum natiuæ regionis iniuriam; & gentis opprobrium rabie quadam furoris accensos. Quod factum est, ut sic prosperè, sic undique nostræ potentia pertingat obsessos, quin potius carceratos detineat, ut sola se valeant spontanea gladij morte subducere, vel excelsæ rupis ex parte maritimæ precipitio liberare. Quæ vobis significamus ad gaudium, quos probabiliter credimus, imò scimus, nobis in nostris aduersitatibus, compati, & in prosperitatibus, successuum congaudere.

Regi Castellæ cognato suo, conqueritur ei de filio suo quòd furtiuè recessit ab eo, existendo in Curia sua.



*V*ellemus potius tacere, quàm loqui, cum sit quodammodo de plus quàm ciuili bello materia, dum alienæ culpæ damnantes infamiam, genus nostrum ut cunq; notabile cernimus, & præter verbalis plagæ conuicium, quod alijs damnantes infligimus, ex eiusdem identitatis lege, qua iungimur, in nobis relinquimus cicatricem. Sed ipsius casus instantia suggerente, silentia rumpimus, & ardui styli mysterio H. primogeniti filij nostri, nepotica vobis sorte coniuncti, à genere prorsus generosa degeneris, processus exponere cogimur, ac eiusdem ingratitude describere vitium, calami pungentis officio, quem non tanquam cuiuslibet nota dissibulat, instanter urgemur. Est etenim, quod ignominiosa relatione describimus, in populi conuersus infamiam, et quibus virtutum speculum, & morum norma fuisse debuerat, nunc imaginarium vitiorum,

tiorum, nunc vulgare ridiculum publicè prædicant: dum mandata nostra, quibus ipsum ex patris debito sæpe pascebamus obaudiens, dum mores et actus nobiles, quos sapere, natura suffragante debuerat, post tergum etiam sibi iniuriosus reiiciens: dum honoris et loci, quibus in nostra Curia fruebatur oblitus: dum nec diuersorum more nobilium, quibus ex prætorij nostri culmine influitur: nec familiaritatis solitæ, quæ ipsum nostri lateris sæpe participem faciebat, dignitate contentus, ad rebelles nostros et hostes, quibus, ut hostis potius obstare debuerat: quibus etiam ipsum, ut sicut debitum ab ætate receperat, sic si qua virtus in ipso dormiret ex otio, armorum exercitio suffragante resurgeret, opponere stimulum nostra deliberauerat Celsitudo: personæ propriæ sur factus et prædo ætate succumbente maliciæ fugitiuus aufugit. Et sic datus vulgo ludibrium, infectione suorum operum puerorum cicatrices augusti sanguinis ac regalis inficit. Videat igitur Excellentia vestra regia, si paternis meritis ista rependere filius, si auunculi beneficijs, imo patris ista, nepos debuit compensare. Attendat regalis industria, qualis euentus, qualisque fidei tam rudis, tam enormis in iuuentute processus, monumenta promittat in senio, qualis et quantæ (si vas tenerum tot patris monita, tot auunculi beneficia continere non potuit) continentie futuræ præfagia, vetustas temporis præfigurat. Ab ipsius denique fructibus manifestè cognoscitur, quale fuerit eius præconceptæ voluntatis initium, quod tam vilis finis explicuit, qualis eius prægnantis propositi tumor extiterit, quem partus tam foetidus, tam dolosus excludit. Ut super his igitur mentem vestram, quæ cum ad utrumlibet sit auditus indifferens, sinistris forte relatibus rem aliter posset credere, quam veritas protestatur, rumoribus abiectis adulterinis, veritatis scopam mundificet, vel purificet, nuncios nostros latores præsentium, ad vestram præsentiam duximus destinandos, ut quantæ dilectionis iudicia erga eundem filium nostrum Magnificentiæ nostra semper ostenderit: quantum et qualiter ipsum benigne tractauerit: quantum per nos et nostros semper extiterit honoratus: quam acerrime etiam,

quam

quam latenter, à latere nostro, et quã turpiter presentiam subripuerit personalem, ijdem nuncij nostri, tanquam eius hactenus in Curia nostra continuè participes et fideles interpretes status eius, regalem animum sufficienter reforment.

Fridericus vniuersis Prælati & Clericis regni Siciliæ, de morte Regis Henrici filij sui.



*M*isericordia pij patris, seueri iudicis exuberante iudicium, Henrici primogeniti filij nostri fatum lugere compellimur, lachrymarum ab intimis educente natura diluuium quòd lacrymas offensa dolor, et iusticiæ rigor intrinsecus obfirmabant. Mirabuntur forsitan diripatres inuictum publicis hostibus Cæsarem, dolore domestico potuisse conuinci: subiectus est tamen cuiuslibet Principis animus, quantumuis rigidus, natura dominantis imperio. Quæ cum vires suas exercet in quemlibet, Reges et Cæsares non agnoscit. fatemur siquidem quòd qui viui regis superbia flecti nequiuimus, sumus eiusdem filij nostri casu commoti. Sumus tamen eorum nec primi nec ultimi, qui filiorum detrimenta transgredientium pertulerunt, et nihilominus post eorum funera deplorarunt. Luxit nanque David triduo primogenitum Absolonem: et Pompeij generi sui cineres, fortunam et animam soceri persequentis, magnificus ille Iulius primus Cæsar paternæ pietatis officium, et lachrymas non negauit. Nec dolor acerrimus ex transgressione conceptus, est efficax parentibus medicina doloris, quin in obitu filiorum natura pungente, non doleant contra naturam à filijs irreuerenter offensi. Nolentes igitur, et etiam non valentes circa prædicti filij nostri obitum omittere, quæ sunt patris: fidelitati tuæ presentium tenore mandamus, quatenus per totam Abbatiam cunctis clericis et cæteris fidelibus nostris iniungas, ut eius exequias cum omni deuotione solenniter celebrantes, animam eius cum decantatione Missarum, et alijs Ecclesiasticis Sacramentis diuinæ misericordiæ recommendent, manifestis indicijs ostendentes,

Gg

quod

quod sicut in gaudiorum nostrorum tripudijs exultant hilariter, sic et doloribus nostris condolere fideliter videantur.

Memoria alterius Henrici anno 1252.



Enricum alterum obiter nouissime comperimus, cum casu Sigonium de Historijs Bononiensis Reipub. percurrissem, qui lib. fol. in anno 1252. Henricum de Morra refert illius Reipub. Praetorem: Erat enim illa ea tempestate praepotens, quae Federico diu aduersa pluries adductis copijs aperto Marte collatisq; signis cum illius legionibus decertauit, quousque in Mutinensi agro, tandem commisso praelio Federici turmis profligatis, et in fugam lapsis in ipsa acie Enesium illarum Ducem Sardiniae Regem ipsius Federici filium Bononienses captiuarunt eumq; in urbem reductum carceribus manciparunt ac detinuerunt (iram furorem ac interneciones eiusdem Federici pro filij relaxatione comminatas, pro nihilo habentes) quousq; in ipsis carceribus uita spiritum exhalauit? Cumque Praetoria auctoritas in Reipub. regenda maxima habebatur, Optimates, Senatus ille cui referebatur electio, magnopere laborabat, ut nedum strenuum solertem prudentemq; virum eligeret, qui talem intus se forisq; ostenderet, ut in illis bellorum ardoribus, cum Potentissimo, ac rabidissimo hoste opus erat; sed qui fidei sinceritate probatis causis Federici hostis infensissimus haberetur, prout Henricus qui suam familiam pene sanguine extinctam opibus denudatam ab impiissimo Tiranno ad internecionem usque redactam ac in ipsum paucosq; superstites alios, persecutionem in dies exardescentem sentiebat: Sed quo patre Henricus iste ortus quoue filios genuerit nobis huc usque laet.

Appendix ad Henricum Magnum Iustitiarium.



AD Henricum Maiorem referre conuenit, quod ex Cronicis sacri Montis Casinensis nuper percepimus, nempe quod ne dum exercituum Imperatoris (nondum depositi) Ducatum tenuit, sed pro eodem, Regni quandoque rexit habenas Locumtenentis Imperialis titulo fulgens, habetur ex Cronicis ipsis, ut in lit. A. 1229. & 1235. ex alijs tunc temporis auctoribus perceptum sentio, ut sacri illius Cœnobij Præsul, & archiuarius eorum literis me certiores rediderunt, ex cuius Cronica testimonio, quod alias de Henrici in Regno Præfectura ex præsumptione autumabamus; modo liquidissime comprobatur.

Animaduersionis ad Lectorem.



Bartholomeo de Morra cuius supra fol. 98. summa cum laude meminit auctor duo nati equidem præstantissimis moribus, parentibus minime absimiles fuere; Alter Vincentij, altera uerò Beatricis nomine donati (ut etiam nomine summas virtutes præferrent) Julia de Morra Aua Vincentium alimentis sustentabat: Beatrix autem Beneuenti apud Moniales Sancti Victorini sanctis moribus imbuenda traditur, Infantia lustris laudibus ornatis decursis, diuinæ Prouidentia arridentibus nutibus, gloriosi Procures, & profecto præter exemplum euasere, Vincentius Vincentiam Caracciolam castissimis moribus pollentem, in matrimonium duxit: quæ profecto tum virtutibus omnibus cum præsertim uita honestate, & morum elegantia, A D D. Francisco, & Chaterina Caracciolis parentibus maximo fuit honore, Francisco Pater Dominus terræ Rateni, & Chaterina mater Marchionissa Fenzani, Ex his ueluti ex magnifico germine Bartholomeus, et Chatarina de Morra in hanc mortalem lucem prodierunt, qui (dubio procul) optime indolis existentes, paternas equidem egregias virtutes immitaturos fore minime ambigimus.

Bea-

*Beatrix Vincentij soror D. Camillo Longo nupsit, Hunc quē
virtutes eximia per maxime comendabant, omnium plausu,
terræ Vincentiorij Marchionis titulo, Hispaniarum Inui-
dissimus Rex decorauit, & ut tantorum virorum memoria
nunquam defluere queat, veluti secundissima vites, palmiti-
bus, sex filijs tribus maribus tantisq; femellis ad præsens usq;
ditatos agnoscimus: qui virtutibus summis parentibus pares
in dies futuros fore, pro certo autumamus.*

*Tot, tantaq; in dies ex ista Nobilissima Familia germina pro-
deunt, quæ licet omnia minime silentio obruenda censeantur,
recensendum tamen in primis haud neglexerim Dominum
Franciscum de Morra dignum Domini Marci Anto-
nij filiū, Qui existēs vera paternæ se probitatis effigies, in pue-
ritia vir, in pubertate senex, Prudentia, ac moribus clarus,
Tandē D. Dianoræ Ianuariæ Indole meritis ac nobilitate
non in pari filie meritissimæ D. Alfonsi Ianuarij Illustrissi-
mi D. Felicis Ianuarij Marchionis Sancti Maximi Re-
gijq; Consiliarij Moribus præstantia, sanguineq; germani,
sacro nuptiali Hymineo copulatur, Ex quo Mirifico germi-
ne D. D. Helena, Iulia, Isabella atque Dianora tanquam
quatuor oliuarum nouelle in hanc lucem prodire tantæ
Indolis, & expectationis, ut inter ceteras suæ familiæ, et si
non primas, nullæ tamen earum secundas futuras arbitren-
tur.*

*Nec Goffredi de Morra iam dicti Marci Antonij fratris, cu-
ius præclara gesta Regiasq; functiones summo cum decore ex-
pletas, est videre pag. 101. sacrum coniungium tacendum
nequaquam putauerim, Vir iste Virtute insignis literisque
præclarus, D. Margaritam Paganam D. Cesaris Pagani
filiam, & Illustrissimi D. Vgonis Pagani Terræ nouæ
Ducis natiuitate germano in Matrimonium duxit, Ex istis
nobilissimis palmis Goffredus de Morra Iunior posthumus
prodiit tantæ Indolis, ut suæ parvæ ætatis circulo mirifica
expectatio contineri minime queat.*

In Cedula Ducum Apulię inferto in Registro Caroli Illustris
signato 1322. littera A fol 37.

De Comestabilia Giliberti de Balbano Comes &c.

COMES Ionath sicut dixit Consia est feudum viginti
militum, & Calitrum sex militum, et Castellion sicut di-
xit, octo Militum feudi, et Mons odorifus sicut dixit, feudi trium
Militum, & Montellarum feudi trium Militum, & Licetum
sicut dixit feudi trium Militum, et Pescum Paganum sicut di-
xit feudi trium militum, una proprium feudi Demanij sunt mi-
liti quadraginta duo, et cum augmento obtulit milites centum
quatuor, et seruientes centum.

Et inter alias Barones descriptos sub Comestabilia
prædicta &c.

Robertus de Morra sicut dixit, & de Castellion feudi duorum
mil. & cum augmento obtulit milites quatuor.

Extracta est p̄ns copia à supradicto originali registro quod con-
seruatur in Archiuo Magnæ Regiæ Curie Sicilæ Neapolis, et
proprie à quadam antiqua inquisitione Conitum, Baronum, et
Feudatariorum facta tempore antiquorum Ducum Apulię in
supradicto registro existente pro ut in fol. 13. cum quo facta col-
latione concordat meliori tñ semper salua, & in fidem infra scri-
ptus Magn. Detius Conterius V. I. D. Regius Archinaris
ordinatione sua Eccel. his se subscripsit, & sigillum consuetum
posuit. Neap. die 23. Iunij 1615.

Detius Conterius.

A

Donatio

2
Donatio Roberti de Morra facta Ecclesie Sancti Saluatoris sitae
in territorio Castelli Monticli de anno 1146.



N nomine Sanctae, et Individuae Trinitatis.
Quoniam comodis Ecclesiarum Dei unumquodque
Christianum debere providere, Catholicæ didici-
mus, et Genitorem nostrum tam Ecclesias, quam
et bona earum, auxisse depræhendimus, ideoque
Ego R. Filius Igezzolini Morra Dominus di-
vina inspiratus clementia ut paternorum beneficiorum verus imi-
tator, pro anima mea, et animabus patris, et matris meae, meaeque
uxoris, et filiorum meorum, videlicet, Philippo, Roberto, Tan-
creda, voluntarie concessimus, donavimus, optulimus, et traddi-
mus, Ecclesie Sancti Saluatoris, quæ constructa est in territorij
Castelli Monticli, scilicet terras quas habemus in ipsa Matina quæ
nobis attinet. Quæ ut diximus concedimus, suscipiente eas vice me-
morata Ecclesie, Domino Jacobo Venerabili Abbate eiusdem Ec-
clesie, et omnibus suis successoribus, una cum Advocato suo Ade-
lardo Milite Castilione. Sunt autem ipsæ terræ sub istis finibus,
primus finis ab oriente, via quæ vadit Vallatã; Secundus finis, pe-
tras nativas; Tertius finis via quæ descendit inter ipsas terræ,
et terræ Guardie; Quartus vero finis, via quæ vadit Andreã
usque ad primum finem, ut ab hodierno in perpetuum, prelibatum
Monasterium Sancti Saluatoris hanc nostram donationem habeat,
possideat, fruatur, cum inferioribus, et superioribus ingressibus,
et egressibus suis, et cum omnibus infra se habitis, sine nostra,
nostrorumque hæredum, seu successorum averseitate, sine mo-
lestia. Si quis igitur hanc nostram largitatem temerario ausu
infringere, seu vacuare tentaverit, centum regales aureos premissæ
Ecclesie Sancti Saluatoris componere eum debere obligamus. Hoc
libello suum obtinente vigorem; huius quoque nostræ munificentie
notitiam ad maiorem soliditatem eiusdem Monasterij, per ma-
num Pauli Notarij scribi, et ad munimentum eidem Ecclesie
dari præcepimus. Anno divine Incarnationis millesimo centesi-
mo quadragesimo sexto mense Ianuarij Indictione nona, * signum
Crucis propriæ manus Roberti Murra * signum manus Phi-
lippi

3

*lippi filij eius * signum manus Roberti filij eius * signum manus Tancreda filij eius * signum manus Guidi Fredaldi * signum manus Petracco Fredaldo.*

Exemplata est presens copia à quadam scriptura in charta membrana scripta, quæ conseruatur in Archiuio Sacri Hospitalis, & Ecclesia Sanctæ Mariæ Annuntiatæ huius Ciuitatis, ab Archiuario ad exemplandum habita, & exhibenti restituta, & in præmissorum fidem ego Not. Natalis Montanarius de Neap. in Curia Notarij Aloysij Iordani presentes feci, & signari &c. ueliori tamen collatione &c.



Donatio Domini Rogerij de Morra facta Ecclesie Sancte
Marie de Perno in anno. 1160.




Nomine Domini Nostri, Jesu Christi.
Anno ab Incarnatione eius Millesimo Centesimo
Sexagesimo, Regnante Domino nostro Gui-
lielmo Gloriosissimo Rege Siciliae, et Calabriae,
Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae, men-
se Octobris Nona Indictione. Ante me Loffre-
da Miles, et Dominico Miles de Casale Sancti Andree, et
Octavianus Miles, et Donadeo Miles, et Sicardus Miles, et
Biscardus Miles filius Saroli, et Gulielmus de Morceta, et
Salathiel, et Bassallus, et Malgerio filius Octavianus. Ego
Dominus Rogerius de Morra filius quondam Domini Loffrede
bonae recordationis, per rimum, et salutem anime mee, et
Domini Giriberti, Domine Manzella uxoris sue, et anime pa-
tris, et matris mee, et Domini Riccardi de Balbano, obtuli Deo,
et Ecclesie Beate Dei Genitricis, et Virginis Mariae, que con-
structa est a foris Castellum Armaterium in locum qui vocatur
Perno. Atque Domino Gregorio Sancti Saluatoris Magi-
stro Priorum, et Ioanni de Castellaro Priori de prefata Ecclesia
Sancte Mariae, unam petiam de Terra in locum qui dicitur Sil-
ua munda, quam dicebat esse per has fines, ab Oriente finis Visci-
lictum, a Meridie finis prefate Ecclesie, ab Occidente, finis via
publica, et tangit in finem acerensis; de Septentrione, finis via de
fontana rubea, et coniungit ad priorem finem. Et sicut ipsi Do-
mino Rogerio congruum fuit bona sua voluntate per conuenien-
tiam per hanc cartam, et permissionem, et consensu Domini Ric-
cardi de Balbano dedit, atque tradidit predictam petiam de terra
iam dictae Ecclesie S. Mariae cum omnibus que intra eam sunt,
cunctisque suis pertinentiis, et cum via de via sua, et cum monimi-
nibus ex ea continentibus; Eratione, ut predicta oblatio sem-
per sit in potestate ipsius Domini Gregorij, et Domini Ioannis, et
successorum eorum pro parte prefati Monasterij quod vellent, et
tribuet ei licentiam, ut quando ipsi Domini Priori vel eorum suc-
cessores voluerint, potestatem habeant predictam offercionem per
se de-

se defendere, qualiter voluerint, cum omnibus muniminibus, & ratione quam de ea pars monasterij offenderint, & si sicut superius predictum est ipse Dominus Rogerius, et eius heredes ipsi Priori vel eorum successoribus non adimpleverint pro parte predicti Monasterij, & predictam, vel ex eius quicquam remouere, aut contradicere presumpserint, quinquaginta auri solidos reales pro parte huius Ecclesie componere, & predicta adimplere. Et si qualescumque persone predictam terram de supradicta Ecclesia subtrahere voluerit sint maledicti, & excommunicati, & à liminibus Sancte Ecclesie sequestrati, et habeant consortium cum Dathan, & Abiron quos deglutivit terra, & cum Juda proditore, qui tradidit Salvatorem, fiat, fiat, Amen. Quod tibi Accardo Notario scribere rogavi.

Exemplata est presens copia à quadam scriptura in charta membrana scripta que conseruatur in Archiuio Sacri Hospitalis, et Ecclesie Sancte Maria Annuntiate huius Civitatis, ab Archiuario ad exemplandum habita, & eidem restituta. Et in premissorum fidem ego notarius Natalis Montanarius de Neap. in Curia notarij Aloysi Iordani presentes feci, & signo meo solito signavi &c. meliori tamen collatione semper salua.

6
Alia Donatio Rogerij de Morra Dñi Armaterij in eodem

Anno 1160.



N nomine Dñi nostri Iesu Christi. Anno ab Incarnatione eius, millesimo centesimo sexagesimo, Regnante Domino nostro Guglielmo gloriosissimo Rege Siciliae, Ducatus Apulee, et Principatus Capue, mense Octobris nona indictione, ante me Goffridus Miles, et Dominicus Miles de Casale Sancti Andree, ac Octavianum Militem, et Donadeum Militem, et Sicardum Militem, et Guiscardum Militem filium Saroli. Ego Rog. de Murra Dominus Armaterij, pro remedio Anime mee, Patris, et Matris mee, et omnium parentum meorum, obtuli Deo, et Ecclesie Beate Dei Genitricis et Virginis Mariae, quae constructa est in loco qui Pernum vocatur, unam peciam de terra in loco qui dicitur Silua munda, quam per has fines esse dicitur, ab Oriente finis Biscilietum, à Meridie finis Sanctae Ecclesie, ab Occidente, finis via publica, et tangit in fine Simeonis Acerensia; à Septentrione, finis via de fontana rubea, et coniungit ad priorem finem. Hæc omnia quae supradicta sunt, per iussionem, et concessionem Domini mei Ricc. de Balbano, à quo ipsam terram teneo, concessi, et tradidi prædictam peciam de terra, præfate Ecclesie Sanctae Mariae de Perno, cum omnibus quae intra eam sunt, cunctisque suis pertinentijs, ut semper in potestate Ecclesie sit, et Gregorij Magni Prioris, et Joannis Prioris, et successorum eorum pro parte præfati Monasterij, et proficuo facere quod vellent. Et Tribui eis licentiam, et potestatem quatenus si Ego vel heredes mei, vel aliquis meorum successorum meorum, hanc supradictam offerfionem corrumpere, vel contradicere voluerit, sit maledictus, et excommunicatus, et à liminibus Sanctae Ecclesie separatus; et habeat Consortium cum Dathan, et Abiron, quos deglutiuit terra, et cum Iuda proditore condendatus, fiat, fiat, Amen. Et taliter tibi Romoaldo Notario scribere precepi * Ego Riccardus de Balbano hoc affirmo * Ego Rogerius de Murra hoc affirmo, * Ego Ricardus Sanctae Sofie testis sum * Ego Gualeramus testis sum.

Exem-

7

Exemplata est præfens copia, à quadam scriptura in charta membrana scripta, quæ conseruatur in Archiuio sacri Hospitalis, & Ecclesiæ S. Mariæ Annuntiatæ huius Ciuitatis ab Archiuario ad exemplandum exhibita, & exhibenti restituta, et in præmissorum fidem, ego Notarius Natalis Montanarius de Neap. in Curia Notarij Aloysij Iordani, prætes feci, & signo meo solito signaui &c. meliori tñ collatio.

Has donationum formulas cum increpationibus, & maledictionibus, tunc temporis vsui esse non ambigimus, siquidem ex Paulo Diacono de gestis Longobardorum lib. 4. C. 7. habetur Pijssimã Theodolindam Longobardorum Reginam, circa annos Domini 600. plura dono dedisse Diuo Joanni Baptistæ, cui prope Mediolanum insigne fanum costrui iussit, et in donationis scripto inter cætera hæc adhibet verba; Si quis in posterum præsentis voluntatis testimonio, quouis modo contraire, aut aliquid attentare præsumpserit, in die Iudicij partem habeat cum Iuda proditore.

Donatio Gaufridi de Morra Dñi Terræ Morra facta Cœnobio
Monialium S. Saluatoris de Guglieto in anno 1200.

IN Nomine Domini Dei Æterni, & Saluatoris Nostri Iesu Christi. Amen, Anno Dominica ab Incarnatione eiusdem, millesimo ducentesimo, mense Augusti indictionis tertiæ. Regnante Domino nostro Federico Dei gratia inuictissimo Rege Siciliae Ducatus Apuleæ, & Principatus Capuæ, Anno Regni eius secundo feliciter. amen. Quoniã dignum, & iustum est Ecclesias Dei, pro quibus Dominus noster Iesus Christus sanguinem suum fudit, protegere, gubernare, modis omnibus augumentare. Decet itaque unumquemque sapientem, & spiritualem Virum, temporalia despiciere, & spiritualia summo quonamine adipisci, et illud semen in terris seminare, quod post decursum huius temporis, in futuro nobis valeat obuiare, Dicit enim scriptura, quod omnia temporalia labilia sunt, & caduca. Beatus ergo homo ille, qui amicos potest facere de m.ã.õ. na iniquitatis, ut cum amotus fuerit à villicatione huius vitæ, inter Sanctos, & Electos Dei in æterna tabernacula, valeat collocari. Super quod. Ego Gaufridus Dei, & Regia gratia Dominus Murra, quondam Domini Rogerij de Murra filius animo, meo reuoluens, quia huius seculi vita fragilis est, & caduca; tunc Diuina illustratus clementia, proposui in animo meo, pro remissione peccatorum meorum, & Antecessorum meorum, quorum terram in præsentiarum possideo, mea gratuita, & bona voluntate, in præsentia Domini Adeodati Venerabilis Episcopi Sancti Angeli de Lombardis, aliorumq; bonorum hominum subscriptorum testiũ, ut ex huius publici instrumenti serie, euidenter clara appareat, concessi, & dedi, ac per fustem tradidi, Cœnobio Sancti Saluatoris de Guglieto, in Manus Domini Domni Bartolomei, Vice Venerabilis Abbatisse prædicti Cœnobij Domine Agnetis, Quandam peciam de terra, quæ est in loco qui dicitur Vallum de Fraxin (Anno prælationis eiusdem Venerabilis Abbatisse vij) Hys vero finibus circumdatam, ab Oriente est finis; qui dicitur ad Vallonem de Macla Mauriens. sicut ibi terminus

minus positus est, et aliquantulum ascendit per eundem Vallonem, usque ad fines terræ præciosi, deinde ascendit, usque ad viã quæ venit ab Ecclesia Sanctæ Mariæ de Cherubine; a Septentrione vadit recte, per viam super lacum, qui dicitur de Spina, usque ad vallonem de Fraxin. Deinde descendit à parte Occidentis, per eundem vallonem, usque ad Starsiam nostram; & ibi arbor est, quæ dicitur Fraxinus, et ibi terminus positus est, deinde ascendit per fines eiusdem Starsiæ nostræ de Toro, sicut termini positi sunt (nobis ibidem astantibus, & præcipientibus) per manus nostrorum bonorum hominum; usque subtus lacum, sicut terminus positus est; & hæc prænominata nostra Starsia, est à Meridie, deficiente autem eadem nostra Starsia, incipit indirecto, per caput terræ Gibaldi, & vadit per caput terræ Argisij Ferar, & vadit per caput terræ Riccardi Militis, olim filij Petrache, & descendit usque ad vallonem, qui dicitur Macle Mauric, coniungendo se cum Priori fine, infra hos autem fines, est terra quam Dominus Robertus dederat præfato Monasterio; et Pater meus Olim, dictus Dominus Rog. de Murra, confirmavit in fine obitus eius, & nos concedendo, in hac huius scripti pagina; confirmamus, et sicut hijs finibus est circumdata, ita præfatam terram iam dicto Cœnobio transactæ dedimus, ad semper habendam, fruendam, et possidendam, et faciendum in ea, & de ea, omnia quæ prænominato Cœnobio, vel dominæ Abbatissæ, vel suis successoribus placuerit; absq; nostra, nostrorumque heredum, vel successorum calumnia, vel inquisitione, ut illorum fuerit voluntas. Super hoc autem nihil aliud eis queramus, aut imponamus, sed libera, & absoluta, ut prædictum est, ab omni nostro permaneat iure, quod nullã nobis aliquo tempore, aut hæredibus, vel successoribus nostris, reseruauimus potestatem, sed translatiue, eidem Cœnobio eternaliter, ut per legitur dedimus: Nos autẽ, seu hæredes nostri, vel successores nostri, nullo modo aliquo fortuito euentu, inde extrahamus, aut in alium, præfatam nostram donationem transferamus; sed omnimodo defensores illis, ex inde ab hominibus, omnibusque parentibus, quolibet modo calumniã inferre volentibus, semper tueamur, ut securæ, & quiete, & sine omni damno, omni futuro tempore maneat. Si quis autem heredum nostrorum, vel succes-

C
sorum

forum nostrorum, ausu temerario hanc nostram donationem, et concessionem rumpere voluerit, aut violare presumpserit, in primis eis actio vacua sit; et nullum obtineat fructum. (Pro qua vero donatione, fatemur, vos recepisse equum unum à prædicta Domina Abatissa) insuper uncias auri viij. eidem Cœnobio, componere sancimus, et res sit firma, et stabilis, ut predicatur; Unde causa securitatis huius nostræ donationis, et ordinationis, cartulam scribi iussimus, per manus magistri Boamundi, et Notarij Monticli, in qua signum Sanctæ et Viuificæ Crucis propria manu designauimus, et cum alijs bonis hominibus, sumus testati. Ad huius autem potestatem memorie, et inuiolabile firmamentum, præsens scriptum per manus Magistri Boamundi scriptum est, et subscriptione ipsius, et aliorum testrum roboratum, eidem Ecclesiæ assignatum est. Confirmat scriptum Boamundus, hoc tale pictu. locus signi * signum proprie manus Adeodati Venerabilis Episcopi Sancti Angeli de Lombardis, quia interfui * signum Sanctæ Crucis proprie manus, eiusdem Domini Gaufridi de Murra * signum Sanctæ Crucis proprie manu Ricc. Militis de Castillon, quia interfui * signum proprie manus Malfræde de Basilia * signum proprie manus Guilielmi de Donnanda * signum Sanctæ Crucis proprie manus presbiteri Nicolai de Murra * signum Sanctæ Crucis proprie manus presbiteri Rog. de Murra * signum Sanctæ Crucis manu Sacerdotis Stabibilis.

Exemplata est præsens copia à quadam scriptura in carta membrana scripta, que conseruatur in Archiuio Sacri Hospitalis, et Ecclesiæ Sanctæ Maria Annuntiate huius Ciuitatis ab Archiuario ad exemplandum exhibita, et exhibenti restituta, et in præmissorum fidem, Ego Not. Natalis Montanarius de Neap. in Curia Not. Aloysij Lordani pntes feci, et signo meo solito signaui etc. meliori tñ collatio.

11

Rescriptum Federici Imperatoris Enrico de Morra Cur. Imperialis Magistro Iustitiaro Anno 1224.



N *Nomine Domini Iesu Christi Amen.*
Anno salutifer Incarnationis eiusdem, millesimo ducentesimo vigesimo quarto mense Septembris tertiedecime Inditionis, Imperante Domino nostro Federico, Dei gratia Inuictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, & Rege Siciliae gloriosissimo, Romani Imperij eius, anno quarto; regni vero Siciliae, vigesimo septimo Februarij amen; Cum questio vertetur inter Ecclesias, Monasteria, & milites Surrenti, ex una parte, & villanos de Casalibus Ciuitatis Surrenti extra muros ex altera, super homagio, seruitijs, redditibus, angarijs, & alijs quibusdam, Dominus noster Imperator dictam causam Domino Henrico de Morra magno Imperialis Curie Magistro Iustitiaro commisit in modum subscriptum. Federicus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliae Henrico de Morra, Curie suae Magistro Iustitiaro gratiam suam, & bonam voluntatem; recolit Excellentia vestra, quod Villani Casalium Surrenti fideles nostri, dudum nobis grauiter sunt conquesti; quod Ecclesie, Monasteria, & Milites Surrenti, absque alio iure quod in eis habuissent aliquo tempore, aut haberent, eos suo dominio iniuste vendicauerant, & tenebant per violentiam occupatos, & quod ab eis ea, dictis villanis grauamina, & contumelie, tam in personis, quam in rebus, fuerant multiplicata, & inhumaniter irrogata quibus, etiam si in ipsis, dictae Ecclesie, Monasteria, & Milites Surrenti, ius aliquod habuissent, amittere debuerunt; qua de re Maieitati nostrae humiliter supplicarunt, ut super oppressionibus, & molestijs suis, benignitatis nostrae, oculos aduertentes, ab eorum manibus eos erueret, & in nostrum tenere demanium dignaremur; Nos autem dictorum rusticorum querelis, et supplicationibus inclinati, quia mala quae in nostra presentia proponebant, nos ad misericordiam inuitabant, ut pote, qui vera ipsos proponere credebamur, ipsos ad demanium nostrum recepimus, & habemus; Nunc autem quidam milites Surrentini, pro parte

parte Ecclesiarum, Monasteriorum, & militum ipsius Ciuitatis Surrenti, ad nostram Curiam accedentes, exposuerunt nobis, quod dicti Villani Maiestati nostrae falsa, & friuola penitus suggesserunt, asserentes eos, villanos ipsarum Ecclesiarum Monasteriorum; et Militum Surrenti, causa tempore cuius non existit memoria extitisse, et quod ipsos tempore Regum predecessorum, et maxime Regis Guglielmi Secundi, recolende memoriae iuste, et pacifice tenuerunt, nec aliqua ipsis Villanis grauamina irrogasse, per qua ab eorum dominio se subtrahere, aut eximere possint, & adtentius supplicarunt, ut dictos Villanos ipsis restituere dignaremur; cum igitur neutri partium in hoc velimus preiudicium irrogare, prudentiae tuae mandamus, firmiter precipientes, quatenus partibus in tua presentia conuocatis, audias allegationes, quas tam Ecclesie, Monasteria, quam dicti Milites, contra Villanos proponere voluerint; et quae contra eos, ipsi Villani voluerint respondere; Et causae meritis diligenter auditis, omnia in scriptis redigi facias, et sub sigillo tuo, curiae nostrae transmittas, prefigens partibus terminum competentem, quo nostro se debeant conspectui presentare.

Datum apud paternonem undecimo Iunij undecimae Inditionis. Presentibus igitur partibus coram nobis pars Ecclesiarum, Monasteria, & militum proposuerunt, contra procuratores Villanorum in hunc modum, petunt, Petrus, & Ligorius milites Surrenti procuratores constituti ab Archiepiscopo, & Capitulo Surrentino, Monasterijs Ciuitatis eiusdem scilicet Abbate, & Conuentu Monasterij Sancti Petri ad Cerminam, Sancti Petri de Caprola, Sancti Archangeli, & Sancti Saluatoris, Sancti Ioannis, Sancti Pauli, & ab Episcopo, & Capitulo Sanctae Mariae de Equa, ab Episcopo, et Capitulo de Lubrensi, et à militibus Surrenti, petunt etiam nomine proprio, restitui, sibi villanos (agendo iudicio petitorio) à Nicolao de Cicala procuratore pro parte Domini Imperatoris, quem Dominus Imperator tenet, unde dicunt, & ipsos Villanos restitui in eorum dominio, quos tam Ecclesie, Monasteria, quam milites Surrenti tenuerunt, tempore Regum Guglielmi primi, & secundi, iuste, & pacifice, exigendo, & percipiendo ab illis villanis, redditus in spallis, & in ouis tempore carnis priuij, et paschae soluendis, & opera & seruitia licet.

Per

Per duos dies in qualibet septimana, et exigendo, et percipiendo ab eorum villanis, et marinarijs v3. ut in barchis eorum, vel ab ipsis villanis, pecunia sua conductis; deferant vinum vendendum dominorum apud Amalfiam, morando ibidem per octo dies, donec vinum venderetur, ad videndam dominorum; et tempore vindemiæ seruiendo per decem dies in vindemijs faciendis. Petunt etiã sibi restitui, ea iura omnia, quæ tempore dictorum Regum perceperunt, ab ipsis villanis v3. quod nullus villanorum qui habebat unicã filiam, vel si plures habebunt, non audebat eas maritare sine mandato dominorum, et dispositione, et si habebat duos filios masculos, vel plures, non audebat aliquem ex eorum sine mandato dominorum clericum constituere, super hijs omnibus lite contestata, tam contra procuratores villanorum, quam contra dominum Nicolaum de Cicala, constitutum procuratorem, ad defendendum iura domini nostri Imperatoris, processum per utramq; partem ad productionem testium, exhibitionem instrumentorum. Quæstio igitur in presentia dicti Magistri Iustitiarij plene examinata, et sufficienter instructa, et ad presentiam Domini nostri Imperatoris remissa, idem Dominus Noster illam nobis Simoni de Tocco, Thomæ Magistro Iudici, Petro de Sancto Germano, Henrico de Tocco, et Ioffredo de Sancto Germano, Magnæ Imperialis Curie Iudicibus discutiendã commisit; Procuratoribus igitur, pro parte Ecclesiarum, Monasteriorum et nobilium de Surrento, Donato Rapista, et Ligorio Dñi Ligorij, et Angelo Calefacto, procuratore pro parte fisci, Nicodemo Notario de Monte Cauoso, in nostri presentia constitutis, merita cause totius diligenter discussimus, et negotij meritis sufficienter inspectis, et plenius indagatis, seriem cause totius Domino nostro Imperatori fideliter diximus, et retulimus seriatim: idem quoq; Dominus Imperator Domino Duci, Venerabili Partensi Episcopo, et nobis Simoni de Tocco, Petro de Sancto Germano, et Ioffredo de Sancto Germano. supradiçtis Iudicibus causam ipsam commisit, vel per sententiam, vel per amicabilem compositionem, vel per nostram providentiam terminandam. Præhabito igitur tractatu, et deliberatione matura intelleximus expedire, quod ita inter eos terminaretur negotium sicut inferius declaratur v3. Primum ut cassatis

D

omni-

omnibus scripturis villani restituantur Ecclesijs, Monasterijs, nobilibus, et alijs bonis hominibus Surrenti. Item singuli villani, singulis dominis suis in septimana unam operam faciant, exceptis in duobus mensibus anni, quos elegerint domini in quibus per quolibet septimanam duas prestabunt operas dominis suis: Et si continuatis diebus, illas operas duorum mensium, domini sibi petierint exhiberi, villani ad eas prestandas omnimodo teneantur, si vero dicti villani in preestatione operarum secundum supradictum modum cessauerint, predicti domini possint eos cogere, pignoribus captis ad ipsas operas prestandas. Ita tamen, ut pro qualibet opera negata, et non exhibita, non plus eis capere liceat nomine pignoris, nisi ad valorem tarenum unum Amalfie, Spallam quoque in carnis priuio, & viginti oua in Pasca prestabunt. De ceteris vero operibus, seruitijs, & redditibus immunes in futurum, & liberi perseuerent, sane sine licentia dominorum suorum, villani filios suos non producant ad officium clericatus, nec filias suas matrimonialiter copulent, sine licentia dominorum, extraneis, qui non fuerint in numero villanorum militum de Surrento, inter se habeant auctoritatem si velint villani matrimonio copulare in quibuscunq; rebus liberam habeant facultatem, super venditionibus vero rerum suarum id inter eos obtineant, quod haecenus seruabatur, de villanis vero, qui fugam arripuerunt illud ius predictum Ecclesijs, Monasterijs, nobilibus, & alijs bonis hominibus Surrenti conseruetur, quod de alijs villanis fugientibus, qui angarias, et per angarias debent, ut per alias partes Regni, dominis eorum seruatur, omnibus querelis eorum super hac materia, per hanc nostram prouidentiam perpetuo terminatis, operas autem in bobus, vel Zappis dicti villani prestabunt, sic ut consueuerunt; Ad cuius rei memoriam praesens scriptum per manus Notarij Nicodemi de Monte caucoso fieri fecimus nostris subtestationibus communitum anno mense, & indictione praetitulatis * Iacobus Patrn̄ Episcopus domini Imperatoris familiaris * Ego Ranaldus Dux Spoleti * Ego Simon magnae Imperialis Curiae * Ego Petrus de Sancto Germano Imperialis curiae Iudex * Ego Goffridus de Sancto Germano Imperialis Curiae Iudex.

Fidem facio Ego Notarius Fabritius Paganus de Neap.
pra-

presentem copiam extractam esse, & exemplatam per me fideliter
ab originali instrumento quod conseruatur apud dominum Ani-
balem Magistrum Judicem, cum quo facta per me collatione con-
cordat de verbo ad verbum, & ideo ad requisitionem mihi factam
per Dominum Hyeronimum de Morra de Neap. quondam
domini Iacobi in ea me subscripsi signumque meum, quo in meis
scripturis publicis vtor apposui consuetum meliori collatione sem-
per salua: Locus signi *

Memoria Iacobi de Morra Capitanei per Imperatorem
in Ducatu Spoleti in anno 1239.



Eodem die 13. Februarij xij. indict. de mandato facto per Magistrum Petrum de Vineis, scripsit Guglielmus de Tocco B. Rascione Justitiaro Aprutij, cum Jacobum de Morra fidelem nostrum, Capitaneum in Ducatu Spoleti, duxerimus statuendum: quem oportebit pro seruitijs nostris, habere milites, et seruiantes, de Regno nostro oriundos, idoneos, et fideles, fidelitati tue precipiendo mandamus, quatenus de Iust. tuo, eligas octo milites bene munitos, equis et armis fideles, et idoneos, et ducentos seruiantes decenter armatos, panceris, et alijs armis omnibus oportunis, qui non sint oriundi de Terris, quae dudum tempore scismatis, adhaeserunt Ecclesiae militibus, nec ipsa labe infidelitatis, fuerint infecti, et ea omnes, tam milites, quam seruiantes, ad eundem Iacobum de Morra transmittas, ipse enim Iacobus, militibus ipsis in statutis solitis, prouideri seruiantibus; solidos ministrabit, quos tu eisdem promiseris, statum eorum, et remotionem eorum (considerans) Regionis, pro ut melius ad utilitatem Curiae nostrae videris expedire: significaturus eidem Iacobo per literas tuas solidorum quantitatem; quam seruiantibus ipsis duxeris promittendam. Datum in Couarario.

Extracta est pñs copia ab originali quinterno qui conseruatur in Archiuo Magnae Regiae Curiae Siculae Neap. cum quo facta collatione concordat meliori tamen semper salua, et in fidem infra scriptus Magn. Detius Conterius V. I. D. Reg. Archiuarius hic se subscripsit, et sigillum consuetum apposuit.

Locus Signi *

Detius Conterius.

27

Memoria Alberti de Morra Beneuentani Summi Pontificis sub
nomine Gregorij Octavi in anno 1187.

Ex Alphonso Giacconio Apostolico Penitentiario in libro de
vitis Pontificum, Dum de ipso Gregorio agit, & ante eū Plati-
na Arnoldus in ligno vitę lib. 2. & quos idē Giaceonius citat in
eius vita, & in assumptione ad Cardinalitiam dignitatem ad
quā fuit per Hadrianum Quartum in anno 1155. promotus.



*Cade Hierosolymorum consternati Cardina-
les, haudquaquam tamē animo defecerunt:
Verum extemplo, comitia nouo creando Pon-
tifice, habuerunt, ac Deo bene iuuante, Al-
bertum provincia Samnitum, patria Bene-
uentanum, filium Sertorij a Mora, alias
Spanadrionis, Monachum antea Benedi-
dictinum, vigesimum Papam regnicolam, ex presbytero Cardinale
S. Laurentij in Lucina ab Hadriano iij. & Cancellario Aposto-
licę sedis ab Alexandro iij. facto, primo presbyterorum, Urbano
iij. suffecerunt; qui sapientia, & vitę sinceritate conspicuus; hoc
enim illi eloquium tribuit Neubrigensis historicus, veritatis ama-
tor, Bernardus item Pontificię vitę accuratus scriptor, & anti-
quior, Gerardus Frasques Dominicanus, litteratum eum, & sa-
eundum dicunt fuisse, sed sanctitate vitę, animiq; integritate prę-
clariorē; ardore namque animi circa rem Christianam, inferior
suo prædecessore Urbano iij. nequaquam fuit; sedit vero in Petri
Cathedra mensem unum dies 27. Imperatore Friderico Aenobar-
bo Augusto, creatus Ferrarię a 19. Cardinalibus, 13. Kal. No-
uembris.*

*Nemo creari Gregorio acrior, ac diligentior potuit, is virtute,
& pietate, recuperandum, (quod humana negligentia amissum
erat) existimans, post quatuor dies, quibus se creatum Ferrarię vi-
dit, continuo dedit litteras ad omnes Europę reges, ac Principes,
viros, quorum exemplum Neubrigensis opere suo inserit, illis com-
memorat Christianam cladem, omnesq; pios ad sacrum bellum
excitat, neque ita multo post, ut Pisanos cum Genuensibus iunge-*

E ret,

ret, Pisas ire contendit, ut inueterata utrorumq; odia componeret. Hos enim populos maximum ad bellum Orientis momentum afferre posse Gregorius persuasus, Parmensi, & Bononiensi itinere Pisas, ut Reipublicæ Christianæ causa, & tam necessario tempore prorsus extingueret, processit. Pacem igitur Pontifex ex sententia conficit, & irritatos populorum animos, beneuolentiæ studijs atq; humanitate demulsi, hac nimirum iniuncta utriq; parti cura, paranda, ducenda, & instruenda, classis in Barbaros.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1187. die xvij. Kal. Ianuarij, Pisis, quo se (Ferraria relicta) expeditionem in infideles, pro recuperanda Vrbe Sancta Hierusalem, paraturus contulerat, diem clausit extremum, & clarissima lux orbis extincta est, inter hæc sanctissimi Pontificis vota, ac pios conatus defecit, ac morbo repentino oppressus, sepultus in cathedrali Pisana, anno 1187. vacauit sedes Pontificia die 20.

SIGNVM GREGORII PAPÆ VIII.

DIRIGE ME DOMINE IN VERITATE TVA.

De eodem Gregorio Diuus Antoninus.

POST transitum Urbani tertij ascendit cathedram Petri Gregorius octauus. In numero pontificum 180. vir scientia litterarum, facundiaque clarus, sed & puritate vitæ, animique integritate præclarior, suiq; vehemens castigator. In primis igitur ad subuentionem Hierusalem totis accenditur desiderijs. Et ad concitandos principes & populos, per occidentis prouincias tam legatos quam literas destinauit, qui cladem orientalem exponant: & pœnitentiæ absolutionem præfectoris Hierusalem promittant. Sed pro dolor in suo mox exortu stas decoris exaruit. Post duos enim menses cathedram, migrans de hoc seculo dereliquit apud Pisas, ibidem sepultus.

Hæc Diuus Antoninus.



Ortuo namque Urbano, sequenti die successit in
Papatū Albertus Cardinalis Cancellarius pres-
byter tituli S. Laurentij in Lucina, patria Be-
neuentanus, dictusq; Gregorius viij. successor
doloris, heres calamitatis: qui paucis diebus qui-
bus sedit, nempe mense uno & diebus vigintise-
ptem, suæ pietatis digna monimenta reliquit, cum in primis pro
subsidio Terræ sanctæ ad uniuersos Christifideles has litteras de-
dit, quas Rogerius in Anglorum Annalibus descriptas perpetui-
tati sacravit.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei uniuersis Christifi-
delibus, ad quos litteræ istæ peruenerint, salutem et Apostolicam
benedictionem.

Audita tremendi seueritate iudicij, quod super terram Hieru-
salem diuina manus exercuit: tanto sumus nos & fratres nostri
horrore confusi, tantisq; afflicti doloribus, ut non facile nobis oc-
curreret, quid agere, aut quid facere deberemus, nisi quod Psalmi-
sta deplorat & dicit: Deus, uenerunt gentes in hereditatem tuam:
coinquinauerunt templum sanctum tuum: posuerunt Hierusa-
lem in pomorum custodiam: carnes Sanctorum tuorum bestijs
terræ, et escas uolatilibus cæli etc. Ex occasione quippe dissensionis,
quæ (malitia hominum) ex suggestione diaboli facta est nuper in
terra, accessit Saladinus cum multitudine armatorum ad partes
illas, & occurrentibus eis Rege, & Episcopis, & Templarijs, &
Hospitalarijs, Baronibus, ac militibus cum populo terræ & Cru-
ce Dominica (per quã ex memoria et fide passionis Christi, qui in ea
pependit, & genus humanum redemit, certum solebat esse tutamen,
& contra Paganorum incursus desiderata defensio) facta con-
gressione inter eos, & superata parte nostrorum, capta est Crux
Dominica, trucidati Episcopi, captus est Rex, & uniuersi fere
aut occisi gladio, aut hostilibus manibus deprehensi, ita ut paucis-
simi per fugam dicantur elapsi, ipsi quoque Templarij et Hospita-
larij in eius oculis decollati. Superato autem exercitu, qualiter
sub-


subsequenter inuaserint, & rapuerint uniuersa, ita ut non nisi pauca loca remansisse dicantur, quæ in eorum non deuenire potestatem, non credimus nostris litteris explicandum. Nos autem licet cum Propheta dicere habeamus: Quis det capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo nocte, ac die interfectorum populi mei? non tamen adeo deicere nos debemus, ut in diffidentiam decidamus, & credamus Deum ita populo suo iratum, ut quod (communium faciente multitudine peccatorum) fieri permisit iratus; non cito per misericordiam (pœnitentia placatus) alleuiet, & post lacrymationem et fletum, exultationem inducat.

Quisquis sane in tanta lugendi materia, si non corpore, saltem corde non luget, non tantum Fidei Catholicæ (quæ cum omnibus dolentibus docet esse dolendum) sed ipsius, et humanitatis nostræ oblitus, cum ex ipsa periculi magnitudine, ac feritate barbarica Christianorum sanguine sitiente, ac totam suam in hac apponente uirtutem, ut profanare sancta, & titulum Dei valeant auferre de terra: quod nos tacemus, discretus quisque valeat estimare. Sane cum Propheta toto prius studio laborauerunt, postmodum Apostoli, & sequaces eorum, ut diuinus cultus esset in terra illa, et ad omnia climata mundi ex ea deflueret, immo quod maximum, & ineffabile est, Deus, qui uoluit incarnari, per quem facta sunt uniuersa, per ineffabilem sapientiam, et incomprehensibilem misericordiam suam, per infirmitatem carnis, esuriam, sitim, Crucem, & mortem, & resurrectionem, salutem nostram ibi uoluit operari, iuxta quod dicitur: Qui operatus est salutem in medio terræ; per seipsum ad hoc dignatus est laborare, nec lingua dicere, nec sensus, cogitare potest, quantum nobis, & uniuerso dolendum sit populo Christiano, quod id nunc perpeffa est terra illa, quod sub ueteri populo legitur pertulisse. Nos autem credere non debemus, quod ex iniustitia iudicis ferientis, sed ex iniquitate potius populi delinquentis, ista prouenerunt, cum legamus, quod quando populus conuertebatur ad Dominum; persequeretur unus mille, & duos fugabant decem millia, immo ipso populo quiescente, exercitum Sennacherib angelica manu consumptum. Sed & terra illa deuorauit habitatores suos, & nec diu habere quietum statum, nec transgressores legis diuinæ potuit retinere; doctrinam & exemplum
tribuens

tribuens illis, qui ad caelestem Hierusalem intenderent, quod non possunt ad eam nisi per exercitium boni operis, & per tentationes plurimas peruenire. Potuerunt autem ista timeri iam pridem, quando Arroasia, & alia terra in potestatem transiit Paganorum, & fuisset bene prouisum, si populus qui remansit, ad pœnitentiam rediisset, & Deum, quem prœuacatione offenderat, conuersione placasset. Nec enim subito uenit ira eius, sed & ultionem differt, & tempus tribuit pœnitenti. Tandem uero, qui in misericordia iudicium non amittit, vindictam suam ad pœnam transgredientium & cautelam saluandorum exercet.

Porro nos, qui in tanta terræ illius contritione, non solum peccatum habitatorum illius, sed & nostrum, et totius populi Christiani debemus attendere, ac uereri, ne quod reliquum est illius terræ, depereat, & in alias etiam potestas eorum desuuiat regiones: cum ex omnibus partibus inter reges & principes, ciuitates et ciuitates, dissensiones audiamus, & scandala, et lugere cum Propheta, et dicere ualeamus: Non est ueritas, non est scientia Dei in terra: mendacium, homicidium, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Vnde hoc uniuersis & cogitandum imminet, & agendum, ut peccata nostra castigatione uoluntaria emendantes, per pœnitentiam & opera pietatis conuertamur ad Dominum Deum nostrum, & in nobis primo quod male gessimus, emendemus; deinde feritatem, & malitiam hostium attendamus, et quod illi contra Deum tentare non timent; nos pro Deo agere nullatenus hæsitemus. Cogitate itaque, filij, qualiter in hunc mundum uenistis, & qualiter exituri estis, & qualiter transeant uniuersa, et pariter transeatis et uos; & pœnitendi, ac bene agendi tempus, quantum spectat ad uos, cum gratiarum actione recipite, & date uestra, date post, uos ipsos, quia non estis ex uobis, nec quidquam à uobis habetis, qui nec culicem unum potestis facere super terram. Nec dicimus, dimittite, sed prœmittite in caeleste horreum quæ habetis, & deponite apud eum, apud quem ærugo ea non demolitur, aut tineæ, nec fures effodiunt, & furantur, laborantes ad recuperationem terræ illius, in qua pro salute nostra Veritas de terra orta est, & sustinere pro nobis Crucis patibulum non despexit: & nolite ad lucrum, uel gloriam temporalem attendere, sed uolunta-

F tem



tem Dei, qui pro fratribus, animas in se ipso, docuit esse ponendas,
 & ei vestras commendate diuitias, quas siue volentes, siue nolentes
 nescitis, tandem quibus heredibus sitis relicturi. Non est equidem
 nouum, quod terra illa iudicio diuino percutitur: sed nec insolitū,
 ut si igellata, et castigata, misericordiam consequatur. Poterit Do-
 minus quidem sola eam, voluntate seruare: sed non habemus ei di-
 cere, cur ita fecerit? voluit enim forsitan experiri, & in notitiam
 ducere aliorum, si quis sit intelligens, aut requirens Deum qui
 oblatum sibi pœnitentiæ tempus, hilariter amplectatur, & animam
 ponendo pro fratribus, consumetur in breui, & compleat tempo-
 ra multa. Attendite qualiter Machabei zelo diuinæ legis accensi
 pro fratribus liberandis, extrema quæque pericula sunt experiti, &
 non solum substantias, sed & personas pro fratrum docuerint sa-
 lute ponendas, et hortantes se ipsos, atque dicentes: Accingimini et
 estote filij potentes, quoniam melius est nobis, mori in bello, quam
 videre mala gentis nostræ & Sanctorum. Et quidem illi sub una
 constituti lege fuerunt, vos per incarnationem Dñi nostri **JESV**
CHRISTI ad lucem veritatis adducti, et multis exemplis in-
 structi Sanctorum, sine trepidatione aliqua, faciatis, & nō timea-
 tis dare terrena, & pauca, et breuiter duratura, quibus illa bo-
 na promissa sunt, & reposita, quæ nec oculus vidit, nec auris au-
 diuit, nec in cor hominis ascenderunt, & de quibus dicit Apostolus,
 quod non sunt condignæ passionibus huius temporis, ad futuram glo-
 riam, quæ reuelabitur in nobis.

Eis autem, qui corde contrito et humiliato spiritu, itineris huius
 laborem assumpserint, & in pœnitentiâ peccatorum & fide recta
 decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam, & vitam
 pollicemur æternam. Siue autem superuixerint, siue mortui fue-
 rint, de omnibus peccatis suis, de quibus rectam confessionem fece-
 rint, impositæ satisfactionis relaxationem, de omnipotentis Dei mi-
 sericordia, & Apostolorum Petri & Pauli auctoritate, & nostra
 se nouerint habituros. Bona quoque ipsorum, ex quo crucem acce-
 perint, cum suis familijs sub S. R. E. necnon et Archiepiscoporum,
 et Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei protectio-
 ne consistant, & nullam de his, quæ in susceptione crucis quiete
 possederunt, donec de ipsorum reditu, vel obitu certissime cognosca-
 tur,

tar, sustineant questionem, sed bona eorum integra interim maneat & quieta: ad dandas quoque usuras, si tenentur alicui, non cogantur. Nec eant in vestibis pretiosis, et cum canibus, siue aui- bus, aut alijs, quæ ostentationi potius, & lasciniæ, quam necessarijs videantur vsibus deseruire: sed in modesto apparatu, et habitu, in quo pœnitentiam potius agere, quam inanem affectare gloriam videantur. Datum Ferrariæ 4. Kalendas Nouembris, Indictione sexta.

His autem eadem die adiecit alias, quibus (ad placandam offensum numen) indixit Ieiunium quinquennale, certis hebdomadæ diebus, quæ sic se habent:

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis Christifidelibus, ad quos litteræ istæ peruenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Numquam melius superni Iudicis ira pacatur, quam cum ex mandato ipsius carnalia in nobis desideria extinguuntur. Proinde quia Hierosolymitanæ terræ discrimen, quod irruentibus Sarra- cenis nuper euenit, ex peccato maxime habitatorum terræ, & to- tius populi Christiani, accidisse non dubitamus: nos de fratrum no- strorum communi consilio, multis Episcopis approbantibus sta- tuimus, ut omnes vsque ad quinquennium, saltem per omnes sex- tas ferias, in cibo Quadragesimali ieiunent; & Missa, ubi cantā- da fuerit, ad Nonam cantetur, quod ab Aduentu Domini vsque ad Natale Domini, statuimus obseruandum; feria uero quarta, & sabbato omnes indifferenter, qui bene ualent, a carnibus absti- neant. Nos autem & fratres nostri in secunda quoque feria no- bis, et familijs nostris esum carnis interdiciamus, nisi forte aut in- firmitas, aut magna solemnitatis, vel alia euidentis causa uisa fue- rit impedire: sperantes, quod sic nobis ignoscet Dominus, et relin- quet post se benedictionem. Hoc igitur adeo statuimus obseruan- dum, ut quicumque transgressor extiterit, quasi præuaricator Quadragesimalis Ieiunij habeatur. Dat Ferrariæ quarto Kal. Nouembris. hæc Gregorius. Qui eodem mense adiecit alias, quibus statuta litteris Urbani Papæ prædecessoris, etiam non obstante eius obitu, uoluit suam habere firmitatem, & robur obtinere, quæ ab eodem Rogerio in Annalibus Anglicis descriptæ sic se habent: Gre-

Gregorius Episcopus seruus seruatorum Dei omnibus Prælatiſ eccleſiarum, ad quos litteræ iſtæ peruenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quoniam ad Episcoporum maxime ſpectat officium, afflictiſ et laborantibus ſubuenire, unumq. illorum (licet deficientibus meritiſ noſtris) Deus eſſe nos uoluit: proſpicere tenemur, et uolumus, ne quiſ ex fortuitiſ caſibus per Romanæ uſitationem Eccleſiæ, laboriſ ſui, quem ad eam ueniendo ſuſtinuit, debito fruſtraretur effectu. Inde ſiquidem fuit, quod nos multorum proſpicere uolentes expenſiſ, & alleuare labores, de conſueta Sedis Apoſtolicæ miſericordia duximus ſtatuendum, ut litteræ prædeceſſoriſ noſtri domini Urbani, a tribuſ menſibus ante ipſiſ obitum deſtinatæ, pro faciendâ iuſtitia & litigiſ dirimendis, quæ tamen manifeſtum alicuiuſ præiudiciuſ non contineant, aut calumniam æquitatiſ, eundem habeant tempore noſtræ adminiſtrationiſ effectuſ, quem habere, ſi adhuc uiueret, debuiffent. Ceſſante igitur exceptione de mandatoriſ morte, perſicite, quod mandauit agendum, ut nemo ad noſ, pro excuſatione huiuſmodi, acceptâ per illum iuſtitiam obtinendi fiducia, cogatur uacuuſ laborare. Datum Ferrariæ ſexto Kalendaruſ Nouembris.

Idem quoq; eiſdem temporis ſcriptor Rogeriuſ de prompto animo S. R. E. Cardinaliuſ eiſdem temporis, ut ſuccurrerent Terræ ſanctæ, hæc habet admiratione digna: Cardinales uero de aſſenſu domini Papæ inter ſe firmiter promiſerunt, quod abiectiſ omnibuſ diuitiſ, et delitiſ, prædicarent Crucem Chriſti, non ſolum uerbo, ſed opere, et exemplo; et eunteſ mendicando, acciperent crucem primi, & præcederēt alioſ in terram Hieruſalem. Statuerunt etiam de aſſenſu domini Papæ firmiſſimam treguam inter omneſ Principes Chriſtianitatiſ uſq; ad ſeptenniuſ; ita quod quicunq; uerum contra Chriſtianuſ medio tempore mouerint, maledictioni Dei, & domini Papæ, atq; excommunicationi omniuſ Prælatoruſ uniuerſaliſ Eccleſiæ ſubiacebunt. Firmiter etiam inter ſe promiſerunt, quod de cetero nulla munera recipient ab aliquo, qui cauſam habeat in Curia, ſed ea tantuſ recipere poterunt, quæ fuerint pro eorum neceſſitate, & ſuſtentatione donata, uel miſſa. Et non aſcendent in equum, quamdiu terra, in qua pedes Domini ſteterunt,

25

sterunt, fuerit sub pedibus inimici. hæc S. R. E. Cardinales admiratione plane digna. addiderunt: Et est sciendum, quod à tempore illo, quo Hierosolyma crepta fuit de manibus Paganorum, per prædictos expugnatores, usque ad tempus illud, quo Rex Guido eam perdidit, interlapsi fuerunt, quater viginti & septem anni. hæc Rogerius.

At illud inexpectate & importune fati, hoc anno accidit, eisdem infausum, & Dei Ecclesie permolestum, quod ipse Gregorius Papa, nondum duobus expletis mensibus in Pontificatu, Pisis cum esset, ex hac vita migravit, decimosextimo Kalendas Januarij, qui tamquam sapientissimus architectus, magnæ molis construendæ, iecerat fundamentum. Quod mors licet improba intercepta: illud plane tamquam exarmata, & imbecillis, utpote carens stimulo, quo ipsa peccatum armat, nequirit efficere, ut cum ipso extingueretur & gloria, ex virtute (morti cedere nescia) comparata, qua semper gloriosus viveret in terris, & beatus cum Deo regnaret in celis. Hæc Baronius.

Easdem literas (dum de eodem Gregorio memorat) Nebrigen- sis Hist. lib. 3. cap. 20. ad verbum tradit, quas hic inserere non inuitile censui, cum ex eis, viri sanctitas, atque suus, pro Hierosolimitana recuperatione ardor, admirabilis emiteat.

De eodem Gregorio ita memorat Arnoldus Vvion in
suo Ligno Vitæ lib. 2.



GREGORIVS VIII. Albertus antea vocatus natione Sannus, patria Beneuentanus, familia de Moru, nobili, & honorata ortus, ex Monacho, à Papa Adriano III. S. R. E. Diaconus (ard. S. Susannæ, mox Presbyter S. Laurentij in Lucina; deinde Cancellarius: postremò Pontifex Max. creatus Ferrariæ, anno 1187. die 4. cal. Nouembris, sedit mensis 1. die 17. Obijt eodem anno 8. cal. Ianuarij Pisis in Tuscia, & ibidem in cathedrali sepultus est. Vacavit sedes die 8.

G

Et

Et Onufrius Panuinius in suo Epitoma Pontificum & Cardinalium lib. 2. de eo, agit his verbis qui ut & Ciacconius, familiae etiam insignia depingit.



*S*ed etiam Ancliff. D. N. Gregorius VIII. Pont. Max. Albertus natione Italus, patria Beneuentanus, nobili & antiqua familia de Morra appellata, ab Alexandro III. presb. Card. in tit. S. Laurentij in Lucina, & S. R. E. Cancellarius institutus est. Hic mortuo Ferrariae Urbano III. à Cardinalibus, qui cum eo erant, in locum eius Pont. Max. Rom. successus est, vigilia Natalis Domini, hoc est 9. Caled. Ianuarij. Sedit in Apostolica sede mensem unum & dies 27.

Petri de Morra Cardinalis creati per Innoc. III. anno 1198. Memoria ex Ciacconio in Vita Innocentij.

*P*etrus de Morra Beneuentanus, ex subdiacono Apostolico, diac. Card. S. Angeli. Hic quum esset subdiaconus, epistolarum decretalium librum, Innocentij Tertij nomine condidit, et certis titulis, capitibusq; argumentorum variarum ratione habita digessit; legatus ab Innocentio Tertio in Galliam est, ut pacem inter Reges Francorum Philippam, & Angliæ Ricardum bello decertantes, componeret, quam cum perficere non posset, morte opportuna Ricardi constituit, cui Joannes frater eius successit. In eadem legatione Petrus Card. anno 1204. in monte Pessulano concilium celebravit. cui quinque Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates multi interfuerunt, cuius monitis sacra militia in Albigenes decreta est. Abbas Vespergensis, Theodoricus, Innocentij Tertij bullæ, monast. Fontis viui an. 1205.

Extant legationis ad Reges prædictos Epistole Innocentij, in ipsius Epistolarum decretalium volumine lib. 1. ac alijs, utriusque Regni Prælati, ex quibus epistolis excipitur Ciacconium in titulo errasse cum Petrus erat titulo S. Mariæ in Vialata insignitus, non autem S. Angeli, ut ipse refert, quodque in transcribendo successerit patet, ex eo quod titulum Sanctæ Mariæ in Vialata Ciacconius tribuit, alteri Cardinali ante Petrum nostrum relatam, ex quorum proxima coniunctione facilis potuit causari, equiuocatio.

VICTORIS PAPAE III.

27

Qui in sæculo vocabatur Dauserius Epiphanius, Beneuentanus circa annum Milleſimum vigefimum ſeptimum natus, Memoriae ex nonnullis authoribus excerptæ.

Ex Cronica Caſanenſi lib. 3. ubi vita Deſiderij recolitur, extrahitis per Leonem Hoſtienſem, Deſiderij nedum contemporaneum ſed diſcipulum, cuius pluribus annis obſequio aſtitit, teſtaturque omnia per eum relata ab eius ore nonnullaque alia à probis viris percepiffe.

Prologus Leonis Hoſtienſis.

Deſiderius Abbas huius Monaſterij trigefimus ſeptimus, et quartus ipſius inſtaurator, ac renouator: præfuit annis 29. menſ. 5. Primus quippe huius Monaſterij fundator fuit ſanctiſſimus Pater Benedictus. Petronax ſecundus: tertius Aliger nus: Deſiderius hic noſter exitit quartus. In quo videlicet omnipotens Deus noſtro hoc tempore, etiam corporaliter euangelicam illam pollicitationem implere viſus eſt: qua dicitur. Amen dico vobis, quod omnis qui reliquit domum, vel fratres, aut ſorores: aut patrẽ, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meũ: centuplum accipiet, et vitam eternam poſſidebit. Huius planè admirabilis, et ſingularis ſui ordinis viri: tam diues, adeoque multiplex geſtorum copia eſt: ut ipſis (ſi aſſent) Hieronymo, vel ſulpicio ſacundiſſimis viris, hiſtoria non indigna videretur. Ego vero licet imperitiſſimus omnium: tantoq; operi minus idoneus ſim: pro imperio tamen ſanctiſſimi patris Oderiſij, mihi nequaquam contemnendo: ac pro ſumma (qua idem pater Deſiderius me diligere dignatus eſt) affectione: qui me quartum decimum etatis agentiẽ annum: ſuſcepit: nutriuit, inſtruxit, promouit: verens quod ſolet accidere: ne vna cum utilitate communi, memoria quoq; tanti viri perſcriptorum negligentiam, in obliuionem cõtemptumq; deueniret: imperite licet, ac ruſtice, Dei confiſus auxilio, aggrediar illius geſta

28
ita perstringere, & ad gloriam Dei tantiq; viri memoriam, atq;
ad filiorum eius, fratrumq; nostrorum solatium literis, utrunque
mandare. Aequius esse, & melius iudicans, inscitiae notam deuote
subire, quam adeo preciosam materiam omnino reticere. Indig-
numq; prorsus arbitrans: et si ad omnia minime enarranda suf-
ficio: saltem pauca de pluribus, referre pro viribus, prudenti venã-
simum ferasq; insectantium more, qui & si omnes nequunt, non ta-
men quas pnt capere negligunt. Et quoniam permulta sunt, ac
ferè innumerabilia tanti viri opera: multa me ex his etiam, quæ
nouï: omisurum profiteor. Quoniam si scribere cuncta voluif-
sem: prolixam certe nimis historiam texerem, & si, hac ipsa de
causa, non dubito reprehensionem me patere multorum, ex nostris
potissimum: qui ea mecum pariter recolunt. Sed enim lectoris fa-
stidio consulens: sufficere existimaui: si vel ea quæ essent relatione
dignissima, non prætermittere. Nam si qua minus nostris in literis
reperiuntur: in eius vita luce clarius remitent. Huius sanè viri
primordia: quoniam opitulante Deo, hinc scribere aggrediar: ab
his qui illius, ab ipsis incunabulis fuisse socij: modo comperta sunt.
Multa & ex ipsius ore, cum ille familiaris me per summam bene-
uolentiam vteretur, agnouï. Nonnulla etiam à maioribus nostris
audiui. Cetera illius, vidi oculis. Nam ferè omnibus, usq; ad
obitum eius interfui. Vnde lectorem mecum præmonitum volo: ni-
hil me prorsus additurum: nulla de eo, nisi comperta mihi, & explo-
rata scripturum: quippe qui scriptum meminerim. Perdes domi-
ne omnes qui loquuntur mendacium. Porrò si quis vel inuidia
cæcatus, vel malitia ductus: fidem his accommodare noluerit, &
studio potius ornandi viri, quam exequendæ veritatis, huic me
rei operam dedisse putauerit: ipse huic (si placuerit) properet, hau-
riat hæc oculis, & per ea quæ videntur: ea etiam quæ videri ne-
queunt amoto liuore consideret: admiretur, credat: omniumq; bo-
norum largitori, laudes, et gratias referat. Ad sic tandem me
vix pauca de multis, de maximis minima, & ipse scripsisse
fateatur.



Desiderius igitur ex nobilissima Beneventanorum Principum origine sanguinis lineam ducens: ab ipsis rudimentis infantiæ, mente cœpit esse nobilior, ac Deo potius servire quam sæculo: ab ipsis (ut ita dicam) uberibus matris elegit. Studebat namq; puerulus Ecclēsiæ limina terere: diuinas lectiones, & audire libenter, & legere: cum religiosis viris de his sæpe sermones inectere: & quæq; ab eis didicisset, in semetipso nitebatur exprimere. At pater illius secularibus eum negocijs vincire cupiens: & utpote unicum, unice diligens: ac per eum posteritatem stirpis suæ propagari studens: puellam ei æque nobilem in ipso florentis ætatis aditu despondere curauit: viq; & nuptias celebraret, filio modis omnibus imminere cœpit. Sed quia spiritus Dei ad mundi contemptum illius cor vehementer accenderat: aliud longe quam cuperet pater, puer Dei agere instituebat: seq; potius eremum ambire quàm nuptias, quibus poterat inditijs, aperiebat: fuissetq; tunc Desiderio satis: nisi & parentum custodia cauta, & singularis amor, ac sollicitudo ingens obstitisset. Non multum temporis fluxerat: quo patre à normānis perempto: puer occasionem, quam diu cupierat, nactus: clam agere omnimodis cœpit: ut quod mente Deo inspirante conceperat, prodiret in opus. Cuidam igitur monacho sibi notissimo, prudenti satis viro Hyacinto nomine (cuius hoc ego relatione percipi) suum explicat votum: affectum patet, aperit voluntatem, & ut sibi opem ferat, fideli prece deprecatur. Erat tunc annorū ferme viginti. Nosti (ait) mi pater, quo pacto me propinqui, sæculo huic innoxuerunt? Sed quia iam dudum Deo vacare decreui: per ipsius te nomen obtestor, & obsecro, ut (quocunq; modo videbitur) his me solutum vinculis: liberius Deo seruiturum clam sumas, atq; in aliquam solitudinem remotissimam transferas. Quid multa? Pollicetur in omnibus Hyacinthus auxilium: præmonet tamen ut caueat, ne sit hæc suggestio demonum. Verum ubi fixum in Christo per omnia pectus agnouit, ac post multa probationum argumenta, persistere illam in proposito animaduertit, die quadam iam aduersperascente, consensit equis. Urbem quasi spatiandi gra-

H

tia,

tia, egressi: consequentibus aliquot famulis, ecclesiam beati Petri cognomento maioris, quæ ciuitati adiacet. quasi obtentu orationis ingressi: equos, & gladium quo tunc idem Desiderius erat accinctus: famulis pro foribus expectantibus, veluti seruandos tradunt. Inde iam sero per quandam ipsius Ecclesie posticulam egressi, iter arripiunt: & cum iam fermè octo miliarijs locus ille distaret: quo disposuerant pergere: noctis tenebris, ac pauore confusi, vix illuc alterius diei mane perueniunt. Quos ubi vir Dei quidam, solitariam illic vitam ducens, aspexit: admiratione repletus, & gaudio, induxit in cellulam: ac Desiderium frequenter amplexans, inquirere sollerter cœpit: quid ad se ita venissent. Cognita itaque Desiderij voluntate vehementer obstupuit: quod puer nobilis, delicatus, diues, parentibus vnicus: tanto feruore mundanis pompis, ac voluptatibus spretis: sub tam districto proposito domino seruiturus accederet. Quia tamen Deo nihil impossibile, nihilq; difficile nouerat: laudes illi, et gratias maximas referens: veterem cum suis actibus hominem Desiderium exuens: nouum qui renouatur de die in diē illum enuestigio induit: & Hyacintho in sua, mature redente, solus Desiderius cum solitario mansit.

Cap. II.

Amuli igitur eius (ut supra memorauimus) pro foribus ecclesie cum equis, diu frustra expectantes: cum eius tandem discessum agnouissent: vicina iam nocte urbem protinus subeunt: matriq; ac propinquis, quid acciderit pauidi referunt. Noctē illam mater in lachrymis ciulatuq; peregit: propinqui uero, et affines eius, erumpente diluculo, conscensis equis huc, illucq; discurrunt, perquirendi illum gratia. Tandem quoderat suspicantes, solitarij cellulam petunt: violenterq; irrumpentes, habitu illum sanctæ religionis iam indutum reperiunt. Ac vehementer irati, Dei famulum contumelijs multis, atq; conuitijs adoriuntur: & inhoneste satis sacris vestibus Desiderium exuunt: manibus illas conscindentes: prioriq; habitum inuitū licet, multumq; repugnantem, protinus induunt. Postremo equo impositum, ipsi lora tenentibus, quasi maxi-

maximam agerent predam: ad urbem orientes reuertuntur. Hic iam matris lachrymas, atq; blanditias frustra in Desiderium congestas, propinquorumq; immo urbis totius tripudium referre quis possit? Annum ferè integrum in domo matris, solo secularis habitu magna sub custodia exegit: cum nullus illi neq; nuptias, neq; secularem ullum actum persuadere potuit. Ita quem fidelem, ac strenuum domus suæ dispensatorem constituere Dominus prouidebat: ab omni carnalis contagij macula, purum illibatamq; seruauit. Inde iam cunctis ciuibus, merito mirabilis, carissimusq; habebatur.

Cap. III.



Ed cum omnis iam fugæ esset oblata suspicio. eumq; mater (quia conjugatim nequibat) conaretur apud se detinere vel clericum, ad Episcopium domui suæ satis proximum, primo quidem non sine custodia, deinde securitate crescente, solum sepius ire sinebat. Erat tum in monasterio Sanctæ Sophiæ prepositus nomine Siconulfus. Is Desiderij affectum pleniter noscens: quoniam interdum, ne suspicio reuiuisceret, non presumebat: noctu sepiissime cum illo loquebatur. Nocte uero quadam (sicuti consueuerat) ad eum cum equis ueniens: cuculla indutum clam Salernum perduxit, ac Beneuentum perniciousiter redijt. Mox Desiderius ad Principem Guaimarium sibi consanguinitate coniunctum accedit: aduentus sui aperit causas, orat ut quoniam in patria monachos uiuere parentum pertinacia non posset: quiete apud illum seruire Deo liceat. Si hoc impetrare mereretur: nusquam se discessurum, si uero propinquis reddere illum cogitaret modo potius illum a se dimitteret, aliofsum profecturum. Huius aduentu Guaimarius letior factus, admiransq; tantum in adolescente seruorem: annuit postulatis, eumq; secum diebus paucis retinens: nulliq; se illum redditurum fidelissime pollicens, ad monasterium Sanctæ Trinitatis (quod ad Cauam dicitur) non longe à Salerno, eodem petente transmisi. Id ubi propinqui persenserunt magnis precibus Guaimarium, ut sibi illum reddat, interpellant. Verum Principe in sua promissione persistente, Landulfus Beneuentanus Princeps,

matris,

matris, ac propinquorum precibus fatigatus Salernum venit, & Desiderium affinis reddi postulauit.

Cap. IV.



Ac igitur aliquando conditione: ut Beneuentum rediret, impetratur: ut sine alicuius impedimento, vel contradictione, etiam Sanctæ Sophiæ monasterio, sub obseruatione monastica sibi manere liceret. Postquam vero Beneuentum redijt, affinis omnibus obuiam sibi simul cum ciuitate ruentibus: cum omni pariter comitatu Princeps illum ad monasterium est profecutus. Gregorius tunc vir valde prudens, & strenuus, eisdem monasterio Abbas præerat. Is Desiderium multa hilaritate suscipiens: quia cunctis desiderabilis erat, tunc primum mutato eius nomine, Desiderium appellari iussit. Nam usq; ad id tempus Dauserius vocabatur.

Reliqua ipsius Victoris gesta breuitatis studio prætermisimus in eadem Cronica ad libitum perlustranda.

Quod Victor fuerit de Epiphania Familia Arnoldus Vvion in suo libro Ligno Vitæ hæc de Victore ipso adnotauit.

VICTOR III. Dauserius in seculo, & Desiderius iam Monachus & Abbas antea vocatus, Samnius, Beneuentani Principis filius, familia Epiphania, ex Monacho cœnobij Sanctæ Trinitatis Causæ Abbas primum Casinensis, ac S. R. E. Presbyter Cardinalis, demum 9. calend. Iunij, Anno Christi 1086 Indiæ, 9. Romæ, Ecclesiæ regimini Præpositus, non nisi anno sequenti Capuæ, 12. calend. Aprilis consecrationis munus, & coronationis insignia suscepit: hoc idem quod cum inuitus omnino, ac renitens creatus fuisset, electioni de se factæ indignum se tanto munere asserens, consentire noluisse. Sedit autem in Apostolico solio 2 die electionis Anno 1. mensibus 3. diebus 24. Et nulla Cardinalium creatione facta, obiit, in Monasterio Montis Casini 16. calend. Octob. Anno Christi 1087. Ind. 10. ibidemq; in Capitulo fratrum sepultus, exinde ad Cappellam S. Bertarij Abbatis et martyris, ubi

ubi nunc iacet, translatus est. Vacavit sedes eo mortuo; menses
5. dies 24

A N N O T A T I O.

De huius Monachatu agunt, Platina in eius vita, Supplementum Chron. lib. 12. Volaterranus lib. 22. Trittemius lib. 4. c. 12. & alibi: Panuinus in utroque Epitome, & Chronico: Carolus Sigonius de Regno Italiae, lib. 9. Platina, lib. 2. cap. 28. & alij Neotherici, qui breuitatis causa reticentur. In quo tamen cœnobio vitam Monasticam primum duxerit controuertitur, Casinensibus, (quos sequitur Panuinus,) suum esse asserentibus, Cauensibus vero negantibus: Casinenses, & Panuinum fefellerunt, versus illi Epitaphio eius adscripti, qui sic leguntur,

*In tactam sponsam, matrem, patriamq; propinquos,
Spernens, huc propero, Monachus efficior.*

Abbas dehinc factus, studui pro tempore totum.

Vt nunc aspicitur, hunc renouare locum.

At non ita intelligendos esse versus hos, ut putemus Desiderium primum Monasticae vitae institutum Casini arripuisse, docet Ioannes Abbas in vita S. Alferij, primi Cauensis Abbatis, his verbis: *Exerunt ergo nonnulli seculum relinquere, et eius se magisterio subiugare: inter quos & vir venerabilis Leo Lucensis, & Desiderius Beneuenti nobilis, ad emulandum pie virtutis eius studium, se eius magisterio subdiderunt. Quorum nimiram alter, post eum Cauensi Monasterio præ hinc in totius orbis culmine, videlicet Romanæ Ecclesiæ Pontificatum sublimatus est. Hæc Joannes; qui fortasse suspectus nonnullis erit, quod Monachus cum fuerit Cauensis, in fauorẽ Monasterij sui loqui videatur: testes igitur domesticos, eosq; Monachos Casinenses adducamus, cum ut veritas elucescat, tum maximè ut sine aliqua adulatione loqui cognoscatur. Leo Ostiensis Episcopus in Chron. Casinensi lib. 3. cap. 3. quod intitulatur, De fuga eius ad Monasterium Cauæ, inter cætera sic loquitur: Huius aduentu Guaimarius letior factus, admiransq; tantum in adolescente feruorem, annuit postulatis, eumq; secum diebus paucis retinens, nulliq; se illum redditurum fidelissimè pollicens, ad Monasterium Sanctæ Trinitatis (quod ad Cauam dicitur) non longè a Salerno, eodem petente transmisit. Hæc Leo.*

I Eadem

Eadem in sententia Petrus Diaconus in libro de vir. illust. Mont. Casini, cap. 18. Scribit, sic inquit: Victor & ipse Apostolicae sedis Pontifex, Casinensis Abbas, compunctione, timorisq; Dei plenus, castitate singularis, professione, & opere Monachus, in nuptijs sponsam suam relinquens Eremum petijt, ibiq; Sanctae Religionis habitum sumpsit. Cuius fugam rabido furore insequentes, eum repertum, vestem Monasticam exuunt, militaribusq; illum tegminibus induentes, ad eius genitricis domum, Samnium usque deducunt. Inde igitur nocta quadam hora aufugiens Sanctae Trinitatis cœnobium petijt. Hæc ille cum cæteris quæ sequuntur. Ex his ergo manifestum est, Desiderium, primum Cœne professionis Monasticæ votum edidisse, deinde, ut ijdem auctores dicunt, Maiellæ, postea Tremiti, & postremo Casini, ubi & Abbas effectus est, diuersis ex causis, vitam Monasticam duxisse, eamq; sanctissimam, qua demum mediante in Romanum Pontificem electus est. Hactenus Arnoldus.

Panvinus in suo Epithome de vitis Pontificum & Cardinalium hæc de eodem Victore refert.



Anclis. D. N. Victor III. Pont. Max. Beneuentanus. Dauserius Italus, patria Beneuentanus, familia Epiphania, ex patre Urbis Beneuentanæ Principe, adhuc adolescens & parentum suorum vnicus filius, relicta uxore pulcherrima intacta ad Cassinens. Monachorum monasterium, in scijs parentibus profectus est. ibique habitum S. Religionis assumens, Monachus ordinis S. Benedicti factus est, ac mutato nomine pro Dauserio, Desiderius dici coeptus est. Porro autem in sacrata conuersatione omnium virtutum exemplar, & sanctitatis speculum diu manens, mortuo (bonæ memoriæ) Cassinens. Abbate, eodemque Pont. max. Stephano 9. ipse omnium Monachorum suffragijs in eius locum creatus est, ac à beato PP. Nicolao ij. in Abbatem simul & presbyterum Card. S. R. E. Titulo S. Chrysogoni est consecratus. Omnium autem ecclesiæ Rom. persecutionum, quas in suis Pontificib. Alexandro ij. & Gregorio vij. passa est Romana sedes constantissimus socius semper fuit, & tanquam fortis Athleta, contra impios

impios die inuitus permansit; Demum Salerni mortuo (Sanctæ memoriæ) Gregorio vij. post annum primum, mensem quartum & diem vigesimum septimum vacantis sedis, inuitus omninò ac renitens omnium Cardinalium suffragijs Romæ die Penthecostes 9. Calend. Iunij Anno Dominicæ Natiuitatis MCCCXVI. in Basilica S. Petri Rom. Pont. creatus est, qui electioni de se factæ consentire nolens, indignum tanta se mole asserens, non nisi post annū, ubi patres in proposito constanteis vidit, suæ consecrationis ac coronationis insignia suscepit. Sedit autem vir sanctiss. in Apostolica sede à die electionis suæ annum unum, menses treis, & dies viginti treis.

Ciacconius in eius vita Principis filium dicit & pro coronide refert Epithasium eius sepulcro insculptum in Sac. Casinensi Templo vbi religiosissime in Sacello ad leuam Ianuæ templi quiescit & veneratur

*Quis fuerim, vel quid, qualis, quantusq; doceri,
Si quis forte velit aurea scripta docent.*

*Sicips mihi magnatum, Beneuentus patria, nomen
Est Desiderius, tuq; Casine decus:*

*Intactam sponsam, matrem, patriamq; propinquos
Spernens huc propero, monachus efficior.*

*Abbas deince factus, studui pro tempore totum,
Ut nunc aspicitur, hunc renouare locum.*

*Interea fueram Romana clarus in Vrbe
Presbyter Ecclesiæ Petre beate tue.*

*Hoc senis lustris minus anno functus honore,
Victor Apostolicum scando de hinc solium,*

*Quatuor & semis vix mensibus inde peractis,
Bis sex lustra gerens, mortuus hic tumulor.*

*Solis Virgineo stabat lux ultima signo,
Cum me Sol verus hinc tulit ipse Deus.*

In

October in Castris prope Mediolanum.

DEcimo tertio facta sunt litera de Imperiali mandato ad familiares I. Capuanū Archiepiscopū & P. Rauellensē Episcopū, mandamus, et precipimus fidelitati vestre, quatenus visis his literis diligenter, & solícite perscripta, & quaterniones vestros inquirentes, ac fideliter in vestro animo reuoluentes inueniatis, & distincte, ac plene scribi faciatis, omnia eorum nomina, quibus ex quo in officio vobis commisso iussistis, & comisistis aliquid de seruitijs, & negotijs ad officium vestrum spectantibus, vel vobis commissis, & quid etiam unicuique eorum commisistis. Studentes quod usque ad festum Natiuitatis Domini primo venturum, tam illorum nomina, quam commissa negotia, fideliter in scriptis redacta ad nostram presentiam transmittatis, aduertentes quod vlla in mittendo mora non protrahantur ulterius, vel de hijs, que scribenda sunt nihil aliquatenus omittatur, quia si per alios, quam per vos nobis aliquid innotescat narrari, procul dubio patiemini penam, pro culpa.

Similes litera facta sunt Henrico de Morra Magistro Iustitiario, præter quam datus est sibi terminus mensis unius post redditum suum in Regnum, quia præsens erat in Curia.

Fol. 43. Barones in Iustitiariatu Principatus, quorum custodiæ sigillatim commissi sunt prisiones Lombardi.

Magister Iustitiarius) Guisardum, &
) Guidonem de Petrasancta.

Iacobus de Morra) Landulfum Cripellum &
) Mattiolum de Haiato.

Goffredus de Morra) Mattheum de Prialone.

Rescriptum eiusdem Federici in quo fit mentio Rogerij de
Morra valliicti sui in eodem Registro fol. 59.
eiusdem anno 1239.

Item de eodem mandato scripsit G. de Cusentia ad Magistrũ
Emptium Falconerium. Quia intelligitur te grauius infir-
mari, quod nostræ displicet Maieitati; propter quæ tuæ conualescen-
tiæ prospicientes, misimus Rogerium de Morra Valliictum, et fi-
delem nostrum, ut falcones nostros, qui sunt in tua custodia de-
beat afferre, et aliquos quos mittendo viderit ad nostram præsen-
tiam destinare. Fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus
id, quod idem Rogerius de Falconibus ipsis tibi dixerit, credere
debeas, et complere. Tu autem saluti tuæ intendas, ut inde valeas
confortari. Datum, etc.

Memoria Ioannis de Morra à Secretis Curie Imperialis, seu ipsius
Curie Magistri libellorum.

In eod. Registro Imp. Friderici signato 1239. fol. 40.

XXIII. Decembris xiiij. Iudictionis de Imperiali mandato fa-
cto per Dominum Joannem Morræ, scripto Laurentio Ale-
xandro filio Henrici, etc. Quia substitui mandauimus Nicolaũ
de Panormo, latorem pñtium fidelem nostrum, in locum M. Ia-
cobini, qui mortuus est, ad custodiendam Cameram nostram Ca-
nusij, et Melfiæ, firmiter mandamus ergo eidem, ex quo in serui-
tio nostro ipsius Camera fuerit, pro se, uno scutifero, et uno ronci-
no, si eos habuerit, ac Bartholomeo socio eius, qui ibi est, à receptione
pñtium in antea, ac pro se uno scutifero, et uno roncino similiter,
ac duobus seruitellis nigris, nomine Musta, et MarZucca, per
partes eorum tantum, præterquam ibi fuerint de pecunia Curie
nostræ, quæ est, per manus tuas, iuxta assisam Curie nostræ de-
beas exhibere.

Memoria Angeli de Morra.

In eodem Registro eiusdem anni 1239. fol. 40.

XXIIII. Decembris xiiij. Indiā. de mandato Imperiali facto per Magistrum Riccardum de Traiecto, scripsit Petrus de Capua ad Angelum de Morra, Fidelitatis tue litteras plura capitula continentes, quas nostra Curia destinasti, benignitate recepimus consueta, quorum capitulorum partibus tibi per litteras nostras recolimus rescripsisse; super alijs vero, tibi in proximo, nostra mitemus beneplacitum voluntatis. Datum apud Pisas.

Extracte sunt copie p̄dictae à Registro Imp. Federici de anno 1239. q̄ cōservatur in Archiuio Magnae curiae Sicilae Neapolis, cūm quo facta collatione concordat meliori tamen semper salua, & in fidem infra scriptus Magn. Petrus Vincenti V. I. D. Regius Archinarius, hic se subscripsit, & sigillum consuetum apposuit.

Petrus Vincenti.

Assen-

Assensus Regius super Matrimonio contracto per Franciscum Rogerij filium, cum Cathegrina de S. Seuerino nepte Comitis Marsici.

In Registro Regis Caroli primi signato 1269. litera B. fol. 29. & a ter.



CAROLVS etc. Vniuersis, etc. Ex parte Gilberti Filmareni, & Mariae Galterij de Casalibus nostrorum fidelium fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum de matrimonio contrahendo inter eosdem Gilbertum, et Mariam ad inuicem cum rebus mobilibus tantum dictae Mariae, verba sunt habita,

prestare in hijs nostrum dignaremur assensum. Nos igitur ipsorum supplicationibus inclinati, postulatum super hijs praebemus assensum. Ita tamen qd dicta Maria, heres bonorum feudalium manexistat, Datum Fogiae 4. Aprelis duodecime indictionis.

Item simili forma scriptum est uniuersis pro matrimonio contrahendo inter Franciscum filium Rogerij de Morra, & Cathegrinam neptem Rogerij de Sancto Seuerino Comitis Marsicensis sub mobilibus tantum. Datum Fogiae 23. Aprelis duodecime indictionis.

Extracta est pns copia a supradicto originali Registro, quod conseruatur in Archiuo Magne Curiae Siclae Neapolis, cum quo facta collatione concordat, meliori tamen semper salua, et in fidem infrascriptus Magn. Petrus Vincenti V. I. D. Regius Archiuarius, hic se subscripsit, & sigillum consuetum apposuit.

Petrus Vincenti.

Prui-

Priuilegium restitutionis status factæ per Robertum
Regem anno 1321.



Robertus Dei gratia Rex Hierusalem, & Siciliae,
Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae prouin-
tia, et Forqualquerij, ac Pedimontis Comes. Vni-
uersis præsens Priuilegium inspecturis tam præ-
sentibus, quam futuris. Sublimis Regiæ potesta-
tis autoritas clara nobilium dignitate persulgēs
non minus agit reipublicæ studia, quam commoditatis causam
suscipiat alienæ, ut subditorum nobilitas decora non pereat, & hu-
mane fragilitatis aduersa calamitas, celebris memoriæ spem
non obducat: sane Isabellæ de Morra fidelis nostræ, domicellæ do-
mesticæ, familiaris Sancia consortis nostræ carissimæ: Hierusalem,
& Siciliae Regine Illustris, luctuosa relatio viscera pietatis no-
stræ commouit quod Rogerium Militem, Goffridum de Morra, ger-
manos suos, Franzonum primogenitum ipsius Rogerij, nec non,
& Rogeronum primogenitum, & Thomasiū filios ipsius Fran-
zoni, valetudo morbi molesta corripuens, et ægrotantium vires exu-
perans, mortis fatalitate præualida, hos omnes modico interuallo
temporis à consortio huius vitæ militantis abduxit: superstibus
eidem Rogerio, alijs genitis, quorum alicui, feudaliū paterna
hereditas, (velut ad manus nostræ Curie per ipsorum Rogerij, &
Franzoni, Rogeroni, ac Thomasiū obitum rationabiliter deuolu-
ta,) de iure aliquatenus non defertur: per quod subsequenter ex muni-
ficientia nostra, hereditate huiusmodi ad extraneos deriuata, sub-
essent excidio paupertatis extremæ, Superstites generis ex antiqui-
tatis stirpe notabili, longis facultatibus affluentes, nobilitatis in-
strumenta deficerent, Sonora domus de Morra mutesceret, deflue-
ret nomen eius in populis, mutato cognomine successoris: Hos igitur
ex affectu sinceræ charitatis ad subditos, dominicæ compassionis
humeris supportantes, prohdolor tante miserabilitatis euētū, cuius
profecō aculeus, percussit amaritudine ictus præcordia omnium ex
ipsorum pro sapia defunctorum, & occurrentes clementiæ nostræ
Antidotis fati vulnere sauciatis, assistentiæ nostrę palma, Occiduū
cogitamus erigere ipsum genus Morræ, ne decidat, ut veteribus
per

42

per eius lineam ductis diuitijs: quæ organa sunt virtutis, sua nobilitas antiquata refloreat, eius uiuat memoria, & præheminentia nostræ serenitatis excrescat; Circa quod potissime, illud notabile meritum stabili monumento redigimus, nostræ quodammodo gratitudinis inductiuum; quod sicut veridica seniorum assertione didicimus, ex progenitoribus defunctorum ipsorum, plerique quondam Federici, Romanorum Imperatoris, & successorum eius, contra Sanctam Romanam Matrem Ecclesiam, errorem delirantis perfidiæ, abiurantes, Quidam scilicet, exorbati sunt oculis, Quidam igneis flammis extincti, Quidam alterius piacularis supplicij, vario genere tyrannica seuiente nequitia trucidati; Quidam vero, quos incolumes, humanæ sortis arbitrium reseruauit, diu extra regnum à dulcore natalium, exules, & diuæ memoriæ domino Anno nostro prouide adherentes, astiterunt sibi fideliter, & potenter, de ipsius regni adoptione felici, deuictis hostibus triumphanti: præstita insuper dicto domino patri nostro subsequenter, & nobis per ipsos maxime, quondam Rogerium, & Franzonum, grata (tempore turbinis, & quietis) obsequia, duraturis nostræ perennitatis affatibus recensentes, adducimus ad nostræ considerationis aspectum, Placida seruitorum merita quæ Isabella eadem nobis dudum præstitit, ad presens præstat, & præstare poterit dante Domino saccessiue, præsertim in eiusdem nostræ coniugis comitiua, nec minus, etiam speramus uerisimiliter, quod presens quondam Rogerij prædicti posteritas, & futura posteritatis huiusmodi soboles, in cultu continuato deuotionis, & fidei, quatenus præterita innuunt laudata parentum insignia preseruabunt: Itaque Castra Morra (Castellarum Rocca Gloriosa, sita in prouincia Principatus, aliaque Castra siue loca, et bona feudalia, quæ ipsa quondam Rogerius, in capite ab eadem nostra curia, in dicto regno nostro Sicilia tenuit, donec uixit, cum hominibus, & uassallis redditibus, seruitijs, casalibus, fortellitijs, domibus, possessionibus, uineis, terris cultis, & incultis, planis, montibus, pratis, nemoribus, pascuis, moleudinis, aquis, aquarumq; decursibus, tenimentis, territorijs, alijsq; iuribus iurisdictionibus, actionibus, & pertinentijs eorum omnibus quæ licet de demanio, in demanium, & quæ de seruitio, in seruitium pro reddito annuo, quem per inquisitionem de

L

manda-

*mandato predictæ curiæ faciendam legitime fuerint valere com-
 perta; Goffrido de Morra secundo genito predicti quondam Roge-
 rij si est laicus atq; idoneus, & eius hæredibus utriusq; sexus ex suo
 corpore legitime descendentibus natis, & in antea nascituris, &
 in eius defectu, aut per ipsius obitum, sine dictis hæredibus, Iacobo
 de Morra, & subsequenter Henrico de Morra fratribus, similiter
 prefati quond. Rogerij filijs, à partibus istis absentibus, & unius
 cuiusq; ipsorum hæredibus utriusq; sexus, ex suo corpore legitime
 descendentibus natis; & etiam in antea nascituris, ex quibus qui-
 dem prænominatis fratribus per ætatis lineam superstes frater, aut
 dicti eius hæredes præmorientur fratri absq; legitimis filijs, imme-
 diate succedat in perpetuum, damus, donamus, traddimus, & ex
 causa donationis proprij motus, & istintus de nouo concedimus in
 feudum nobile de liberalitate mera, & certa scientia, & gratia
 speciali, iusta usum, & consuetudinem dicti Regni nostri Siciliae,
 ac generalis, & humane paternæ sanctionis ædictum, de feudorum
 successione in fauorem Comitum, & Baronum omnium dicti
 regni, à tempore felicitis aduetus dicti Aui nostri in ipsum, Comita-
 tus Baronias, & feuda ibi ex perpetua collatione teneri, iuxta fa-
 ctum dudum per ipsum dominum patrem nostrum, & in parla-
 mento celebrato Neap. diuulgatum. Non obstante quacunque
 generali, aut speciali tacita, vel expressa donatione seu concessio-
 ne per nos, aut generalem dicti Regni Vicarium iam facta, vel de
 cetero facienda, sub cuiuscunq; contradictionis obstantis præcisa
 instantia, vel expressione curiosæ uallationis adiecta, etiam si expe-
 diret illam contra expressum eius tenorem, mentem similiter sue
 sensum, paginæ huius contextui seriosus annotari. Per quam ca-
 stra Morra Casellarum Rocce de gloriosa; aliaq; castra siue loca,
 & bona feudalia eadem, aliqua, vel aliquod eorundem, alicui de-
 beantur, aut possessio dominium, Ius aliquod, siue proprietas com-
 petat, vel acquiratur in illis, etiam si per dictam nostram Curiam
 tradita, vel alias inde apprehensa foret possessio corporalis, quam
 censemus de ipsa certa scientia, nullam Iuris, et efficacie uacuum,
 et de possessoris manibus reuocandam, quæ quidem Castra siue lo-
 ca, & bona feudalia à donatione, seu concessione huiusmodi signan-
 ter excipimus, & exceptuata de propria certa scientia prorsus cen-
 seri*

feri decernimus, declaramus, volumus pariter, & iubemus, ac nihilominus contra presentem, nostræ celsitudinis gratiam, donationem, seu concessionem ipsam reuocamus, irritamus, cassamus, vacuamus, annullamus penitus, & ex huius nostræ auctoritate decreti nullius esse sancimus roboris, vel momenti, nec etiam circa hæc obstante præterea lege, seu constitutione quacunque contraria, quam in hac parte de eadem certa scientia tollimus, & eius vigorem, iuribus, & efficacia vacuamus omnino, de potestate nostri culminis principali, cum nunquam intellexerit mentis nostræ iudicium, aut intelligat, prædicta Castra siue loca, & feudalia bona eadem, cuiuscunq; concedere ut ex completato ipsius, causa molestæ de pauperationis ingestæ Cogantur (producti ab antiquo de Morra ingenui nostri, tam subditi nobiles) mendicare; Absit enim à felicibus regiminis nostri auspicijs tantæ infelicitatis acerbitas, ut ex subtractione conuictus, qui etiam de promptuarij nostri ubertate requiritur, dissoluatur, & pereat, istius præsertim Generosæ Domus Ornata Congeries, & sine vitio criminis illi fiant alienæ subuentionis indigni, qui merentur esse patrimoniali substantia copiosi: Aut similiter non obstante postremo de Castris, siue locis, & bonis ipsis feudalibus aliquibus, vel aliquo eorundem habita conuentione pactione, aut transactione iam facta, vel alienationis quandocunq; celebrato commercio, vel contractu sub quo vis titulo, denominatione, specie, vel figura inter dictam nostram Curiam, siue officiales ipsius, vel quoscunq; priuatos, unum, aut plures, & aliquem ex superstitionibus dicti quondam Rogerij filijs, etiam si id noster, aut præfatus generalis in Regno Vicarius, contra nostrum (si quidem præarrata cõsideratione) propositum, assensus accessit, & siue ipsa nostra Curia, siue ipsi priuati quantumcumq; benemeriti censeantur, etiam si possessionem inde adepti fuerint corporalem, quam profecto conuentionem, pactionem, transactionem, seu cuius vis alienationis, ipsum commercium, vel contractum de prædicta nostræ scientia, reuocamus, rescindimus, irritamus, cassamus, vacuamus, annullamus, ipsoq; decernimus, & declaramus reuocatos, omnino rescissos, irritos, cassos, totaliter vacuos, atq; nullos, et eos nullo fulcimento, vigore, aut aliqua persistere firmitate: Decernentes nihilominus, declarantes, et iubentes expresse præ-

præceptam possessionem, cum fructibus medijs temporis, reuocandam fore quam citius, de manibus eiusdem curiæ, seu cuiuslibet possidentis, & prorsus reducendam ad manus illius ex memoratis donatarijs nostris, ad quem primo dirigitur largitatis nostræ benignitas, quæ præfertur. Non obstante qualibet lege, seu constitutione contraria fauente prædictis conuentioni, pactioni, transactioni, alienationi, commercio, siue contractu, quam ad presens sicut, et ceteras prædictas alias leges, & constitutiones, huic equitati nostræ beneuolæ, forsitan aduersantes, similiter de prædicta certa nostra scientia tollendo auferimus, eius vires elidimus, & præheminentis arbitrio, ipsius efficaciam inanimus; cum & hoc utiliter reipublicæ statui euidenter expediat, Castrorum, siue locorum, & eorundem bonorum feudalium de Morrense domo radicatorum, & iam prouectorum, vbi plantantium sanguine potius quam sudore, honorem dominus est subsequutus, hereditarios fructus, consensu nostro nullatenus egredi, & illa patens ratio indicet, ad cognitionem gentis extraneæ non transferri, si quidem sanxit prouida legum editio, non ledi ius publicum, pactionibus priuatorum, ita tamen quod dictus Goffridus, vel Iacobus, aut Henricus, & ipsi eius heredes, pro dictis Castris, seu locis, & bonis alijs nobis, nostrisque in dicto Regno heredibus, et successoribus seruire teneantur immediate, & in capite de seruitio prouide contingente ad rationem de unijs auri viginti, valoris annui pro quolibet integro seruitio militari, computata persona sua, quod est de usu, & consuetudine dicti Regni, quod seruitium præfati fratres, pro se, ac dictis ipsorum heredibus nobis, nostrisque in dicto Regno heredibus, & successoribus integre, & sine diminutione aliqua facient, & præstabunt inuestientes prenominatam Isabellam nomine iam dictorum Goffridi, Jacobi, et Henrici per anulum nostrum præmissio modo, de Castris, seu locis, et bonis alijs supradictis ut inde ipsis nostris fidelibus, carentia patrimonij proprij, incomodum non patiatur animus, & ex hoc denique serenitatis nostræ fastigia clareant, cum beneficijs Principum seruetur memoria subditorum: ita quod tam prædictus Goffridus, vel Iacobus, et Henricus, quam dicti heredes ipsius, Castra, seu loca, & bona eadem à nobis nostrisque in dicto Regno heredibus, & successoribus perpetuo in ca-

pite

pite teneant, & possideant, nullumq; alium preter nos heredes, &
 successores nostros predictos superiorem, ac dominum ex inde reco-
 gnoscant, pro quibus quidem castris, seu locis, & bonis, ab eodem
 Goffredo, vel Facobo, aut Henrico propter ipsorum ut prefertur
 de partibus istis absentiam in manibus Caroli promogeniti nostri
 Carissimi Calabriae Ducis, & in dicto Regno Siciliae Vicarij Ge-
 neralis nomine nostro ligium omagium, & debite fidelitatis pra-
 stari volumus iuramentum, clausulis conditionibus, & reserua-
 tionibus omnibus, & singulis, quae in priuilegis predictorum do-
 minorum Aui, & Patris nostrorum, ac nostris circa huiusmodi
 consueuerunt exprimi, & apponi in presenti priuilegio intellectis,
 & habitis pro expressis: saluis, & reseruatis semper nobis, ac pra-
 dictis heredibus, & successoribus nostris, in praemissis Castris, seu
 locis, & bonis ratione maioris dominiij predicti Iuribus, quae Cu-
 riae nostrae debentur, prout habemus ea, & habere debemus in ter-
 ris Castris, seu locis, et bonis feudalibus alijs dicti regni ipsius maio-
 ris dominiij ratione, fidelitate quoque nostra praefatis seruitijs no-
 stris, alijs, & cuiuslibet alterius iuribus semper saluis: in cuius rei
 fidem perpetuamq; memoriam, & predictorum Goffridi, Iacobi,
 & Henrici, & heredum ipsorum cautelam. Praesens Priuilegium
 duplicatum fieri, & pendenti sigillo Maiestatis nostrae iuximus
 comuniri alio consimili sub aurea bulla eiusdem nostrae Maiestatis
 impressa tipario concessio eis propterea ad cautelam: Actum Aquis
 presentibus venerabilibus patribus Ingeranno Archiepiscopo Ca-
 puano, Francisco Gayetano, & Guglielmo putheolano Episcopis
 Consiliarijs familiaribus, & fidelibus nostris dilectis, ac pluribus
 alijs &c. Datum ibidem per manus magistri Matthei Filima-
 rini de Neap. utriusque Iuris professoris, Locumtenentis, Protho-
 notarij, Regni Siciliae Consiliarij, familiaris, et fidelis nostri, An-
 no Domini Milleesimo tricentesimo vigesimo primo, die quinto de-
 cimo Februarij, quartae Indictionis Regnorum nostrum anno duo-
 decimo feliciter amen: Laurentius de Antiniano, registratum in
 Cancellaria: Prothonotarius.

Extracta est praesens copia à suo originali priuilegio omnibus su-
 pradictis sollempnitatibus roborato in pergameno scripto cum re-

M

gio

gio pendente sigillo cere rubeæ mihi consignato per Dominum Hieronimum de Morra quondam Domini Iacobi ad hanc fidem, et copiam faciendam, et per me eidem restituto, et quia facta per me collatione concordat cum originali; Ideo ego Notarius Fabricius Paganus de Neap. in fidem in ea me subscripsi, signumque meum apposui consuetum meliori collatione semper salva. etc.
Locus signi.



ROBERTVS, &c. Regenti Curiam Vicarie
Regni Siciliae, & Iudicibus eiusdem Curiae di-
lectis Consiliarijs familiaribus, & fidelibus suis
etc. Pro parte Ioannelle pupille filiae quond. Ia-
cobi de Castrocucco Militis fidelis nostrae fuit co-
ram nobis nouiter non sine graui querela propo-
situm, qd dictus quond. pater eius dum viueret, eam nuptui tra-
didit Rogerio primogenito Goffridi de Morra cum dotibus untiarum
quadringentarum promissarum sibi ipsius matrimonij con-
templatione, de quibus idem quond. Iacobus, pro eadem sua filia
ipsi Goffrido, uncias auri trecentas iam sex annis elapsis, dedit ma-
nualiter, atq; soluit, reliquis uncijs centum ex inde tantummodo
restantibus ad soluendū. Demum verò Goffridus idem quadrienni-
o iam transacto, caritatis omittens debitum, & paternae dilectio-
nis oblitus, occasione quidem sumpta, & colore quesito, quod sibi de
praedictis restantibus centum uncijs satisfactum non fuerat, eam
de sua domo ingnominosè deiecit, illi ex tunc in antea victus, ve-
stitus, & alia necessaria exhibere, vel eam ad domum reducere pa-
terna caritate tractandam inmaniter denegans, & recusans sicq;
praefata pupilla per ipsum Goffridum expulsa taliter, et tã à Rai-
naldo, de Castrocucco, alijsq; suis fratribus, quàm à dicto Goffri-
do conspiciens se debita alimentorum exhibitione priuari, Maie-
stati nostrae supplicauit actentius, ut in hac parte sibi subuenire
de oportuno prouisionis nostrae remedio dignaremur. Nos igitur
actendentes pupillarum causas fore fauorabili prosecutione tra-
ctandas, ubi praesertim de alimentis agitur, quorum subtractio,
mortis eccidium probabiliter comminatur, eiusdem in hac parte
Ioannae, tam benigne, quam iuste supplicationibus annuentes fi-
delitati vestrae praesentium tenore committimus, & mandamus,
quatenus statim receptis praesentibus habitaq; informatione sum-
maria, quae expedit de praemissis, praefato Goffrido sub certa formi-
dabili pena, ab eo si secus indefaceret pro nostra Curia irremissi-
biliter exigenda, ex parte nostra ingiungere studeatis, qd dictam
Joan-

Joannellam reducat ad suam domum instantius, sibiq; præbeat victum, & vestitum, ac alia debita necessaria alimenta, et tractet eam, ut decet amabiliter, et paterne. illum ad hoc si, et prout expediens fuerit arctius compellentes. Vbi verò dictus Goffridus ex causa renueret ipsam eius nulum taliter ad suam domum reducere, & eam inibi retinere, & tractare, ut prædicitur cum exhibitione competentium alimentorum huiusmodi, illum ad dandum, et exhibendum eidem Ioannella competentia, & debita alimenta, iuxta quantitatem dotium prædictarum summarie de plano sine strepitu, & figura iudicij, et sola inspecta substantia veritatis, actis, oportunisq; remedijs, pro ut iustum fuerit compellatis. Itaq; ipsius pupillæ necessitatibus nostra prouisio oportune subueniat, & aliud super hoc adhibere remedium non sit opus. Datum Neapoli per Joannem Grillum, &c. die 11. Nouembris, &c.

*Extracta est pñs copia à suprascripto originali Registro, quod conseruatur in Archiuo Magnæ Regiæ Curie Sisle Neapolis cum quo facta collatione concordat meliori tamen semper salua, & in fidem infra scriptus Magn. Petrus Vincenti V. I. D. Regius Archiuarius, hic se subscripsit, & sigillum consuetum apposuit.
Neapoli die 27. mensis Septembris 1614.*

Petrus Vincenti.

In Registro Regis Roberti signato 1310. & 1311. litera
A. fol. 114. à tergo.



*C*riptum est Justituario Principatus ultra Serras
Montorij deuoto suo, &c. Conquestus est nouiter
coram nobis, Dominus Rogerius de Morra Regius
fidelis, nosterque deuotus, quod Domino Rogerio
de Morra suo Auo paterno præmortuo, nullis alijs
liberis derelictis, cui quond. Domino Rogerio Auo suo, ipse nunc ex-
ponens tanquam hæres legitimus successit, tenente, ac possidente per
se, et alios eius nomine tenentes, & possidentes, Casale Sancti Bar-
tholomei, q̄ est ut dixit de feudo, seu pertinentijs Castri sui Morra,
quod immediatè, & incapitè tenet à Regia Curia simul cum mo-
lendino uno in uallone Candeti, & alijs bonis, iuribus, & perti-
nentijs eius, quondam Dominus Ioannes Galardus per se, seu alios
suo nomine, prædictum, quondam Dominum Rogerium possessione
Casalis ipsius cum iuribus, et pertinentijs suis omnibus, auctoritate
propria cum ipsis iuribus, et pertinentijs eius, per violentiam spo-
liauit, & demum ad Donnã Philippã de Bellomonte, seu Comi-
tem Dammartini virum eius, causam in hoc ut dicitur ab ipso de-
temptore habentes, licet per deambulationes, seu media varia, præ-
dictis Casalis possessio, sic violenta peruenit, qui illud nunc ex ipsa
causa tenent, & possident, dictoq; hæredi restituere contradicunt, in
eius graue dispendium, & iacturam. Super quo prouisionis nostræ
remedium suppliciter implorauit. Cum igitur spoliatis iniuste, sit
celeris restitutionis beneficio succurrendum, deuotioni vestræ Vi-
cariatus auctoritate, qua fungimur expresse iubemus, ut vocatis,
qui fuerint euocandi, si summarie de plano sine libelli oblatione,
contestatione litis, strepitu, & figura iudicij, vobis constiterit de
premissis, statim ad restitutionem possessionis prædicti Casalis, iu-
rium, & pertinentiarum eius cum fructibus, inde medio tempore
perceptis, præfato exponenti prout iustum extiterit, faciendam pro-
cedatis, iuxta formam Capituli Regij editi super destitutionibus
violentis, ita q̄ ulterius ad nos recurrere non cogatur. Si vero præ-

N

dictus

*dictus Comes, aut uxor in p̄dicto Casali, aut bonis eisdem aliquod
ius habere contendant, illud si voluerint ordine iudiciario prose-
quantur. Datum Neapoli per Nicolaum Fricziam de Rauello,
eꝯc. Anno Domini 1310. die 20. Septembris nonæ Inditionis.*

*Extracta est præfens copia à supradicto originali Registro, quod
conseruatur in Archiuo Magnæ Regiæ Curie Sicilæ Neapolis,
cum quo facta collatione concordat meliori tamen semper salua,
eꝯ in fidem infra scriptus Magnificus Petrus Vincenti V. I. D.
Regius Archiuarius, hic se subscripsit, eꝯ sigillum consuetum ap-
posuit Neapoli die 27. Mensis septembris 1614.*

Petrus Vincenti.

51

Inuestitura Ioannæ Primæ in anno 1369. in personam
Iacobi de Morra .



I O A N N A Dei gratia Regina Hierusalem, & Siciliæ Ducatus Apulæ, et Principatus Capuæ, Proninciæ, et Forqualquerij, ac Pedimontis Comitissa, Justituario Principatus ultra Serras Montorij, seu eius Locumtenenti fideli, suam gratiam, et bonam voluntatem: Feudorum successio certis personis ex ordine censura Iuris Indicentis defertur: ab illis igitur, quibus hæc competit, sacramentum fidelitatis, & homagium, ac consuetum releuium ex more recipientes, & inuestitura loco, ad asscurandis ipsis à vaxallis eorum, & quod eis respondeant de consuetis, et debitis, nostras Inuestitorias literas Indulgemus: Sane Iacobus de Morra fidelis noster nuper Maiestati nostræ supplicauit humiliter, ut cum mortuo olim Goffrido de Morra milite, cuius se dixerit, et dicat filium primogenitum, & heredem legitime natum, & etate maiorem, francorum Iure viuente, asscurari eum ab hominibus, & vaxallis Castri Morra de ipsa tibi decreta prouincia, (quod quidem castrum Morra cum hominibus vaxallis iuribus, & pertinentijs omnibus suis de feudo nostro, & sub seruitio trium militum tenuit immediate, et in capite à nostra Curia donec vixit, & ipse nunc Iacobus ex successione paterna, teneat, & possideat iuste, & rationabiliter sicut dicit) iuxta Regni consuetudinem mandarem: cum ergo de fide, et successione dicti supplicantis, et alijs capitulis ad hoc pertinentibus, per fide dignam informationem in eadem curia specialiter inde susceptam plenarie nobis constat, dictumq; Iacobum in manibus nostris pro nobis, & heredibus nostris ligium proinde fecit homagium, et prestittit fidelitatis debite iuramentum, soluitq; pro releuio dicti Castri Morra camere nostræ theusararijs nostris, in carlenis argenti sexaginta per untiam computatis, untias triginta, medietatem scilicet, valoris annui castri predicti suis, in hac parte, supplicationibus inclinati, fidelitati tuæ presentium tenore præcipimus, quatenus recepto prius ab hominibus, & vaxallis eiusdem castri, quod idem supplicans ex successione paterna iuste, & rationabili-
ter

ter tenet, & possidet à nostra curia, pro nobis, & nostris heredi-
 bus fidelitatis solito iuramento facias demum supplicanti prædicto
 ab hominibus, et vaxallis eiusdem, iuxta dicti regni usum, & con-
 suetudinem, asssecurationis debite sacramenta præstari, et respon-
 deri de omnibus in quibus tenentur, et debent fidelitati nostræ præ-
 stari pro quoq; feudali seruitio, et maiori, si maius ipsi nostræ Curie
 debeatur, nostris alijs, & cuiuslibet alterius iuribus semper saluis;
 Mādamus fieri de exequutione præsentium, cum earum forma tria
 publica consimilia instrumenta, quorum uno tibi retento, ad tui
 rationem cum tempore producendo, reliquo dicto Iacobo tradito, et
 tertium magistris rationalibus magnæ nostræ Curie, in Archiuio
 Neap. residentibus, mittere studeas, & procures pro cautela Cu-
 riæ inibi obseruandum. Datum Neap. per nobilem Thomam de
 Bufalis de Messana Militem magnæ nostræ Curie Magistrum
 rationalem, Locumtenentem Prothonotarium, Regni Sicilia Con-
 siliarium, et fidelem nostrum. Anno Domini millesimo cclxxviij.
 die xxj. Aprilis, septimæ Inditionis, regnorum nostrorum Anno
 xxvij. etc. P. S. per Iure sigilli tar. vij. per Iure magni Camera-
 rij ducatos quatuor. &c.

53

Instrumentum dotale Agnetis de Morra per Nicolaum Carac-
ciolum eius virum in anno 1380.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Anno à natiuitate ipsius millesimo trecentesimo octua-
gesimo, regnante Serenissima Domina nostra
Joanna Dei gratia Regina Hierusalem, & Sici-
lia, Ducatus Apuleæ, Principatus Capuæ, pro-
uincia, & Folcarquerij, ac Pedimontis Comitissa, Regnorum eius
anno trigesimo octauo feliciter amen; Die tertio mensis Augusti
tertia indictionis Neapoli. Nos Anellus Iuueni de Neapoli Iu-
dex ad contractus, Ciccus Starola de Neapoli publicus per totum
Regnum Siciliae Notarius, et testes subscripti ad hoc specialiter vo-
cati, & rogati, presenti scripto publico notum facimus, & testa-
mur, quod constituti in nostri presentia nobilibus coniugibus Do-
mino Nicolao Carazulo russo, dicto catapane de Neapoli milite
ex una parte, & Domina Agnessa de Morra uxore sua iure
Romano viuente, ut dixit ex parte altera, presatus verò Domi-
nus Nicolaus sponte pure publice, et bona fide asseruit, et confessus
fuit, et legitime recognouit in presentia dictæ Domine Agnessæ
uxoris sue confessionem, & recognitionem ipsas recipientis, & sti-
pulantis, pro se, & heredibus suis, quod iam sunt anni septem
elapsi, vel circa ipse Dominus Nicolaus, & dicta Domina
Agnessa uxor eius, matrimonium inter se voluntarie, & legitime
contraxerunt per verba acta mutuo consensus exprimentia, de
presenti, & alia conuenientia ad matrimonij firmamentum, &
quod contemplatione eiusdem matrimonij, ipse Dominus Nicolaus
extunc presentialiter, et manualiter recepit, & habuit de summa
& quantitate dotium suarum florenorum mille de auro promissa-
rum eidem Domino Nicolao per eandem Dominam Agnessam
pro dotibus suis contemplatione contracti matrimonij dictarum
vntiarum centum undecim tt. quindecim, & gr. decem, suscripto
modo consistentes v3. vntias nonaginta unam tt. viginti unum,
& grani decem in pecunia numerata in carlenis argenti ponde-
rum generalis sexaginta per vntiam computatur: Item flonteriam
vnam de auro perlis, & lapidibus pretiosis, valoris vntiarum octo;

O Item

Item corregias duas de argento valoris unciarum trium, et ii. duodecim; Item unctias duas in ponderatione de perlis, valore unctiarum quatuor; Item unctiam mediam de perlis valore unctiarum duarum, et taxias duas de argento valore unctiarum duarum, et ii. duodecim; Et promisit, et obligavit se tunc dictus dominus Nicolaus suosq; heredes, et successores, et bona omnia mobilia, et stabilia presentia, et futura licita, et illicita, et alia cuiuscunq; vocabuli appellatione distincta eidem dominæ Agnessæ presentis, et recipienti pro se, et heredibus suis dotes ipsas unctiarum centum undecim et quindecim, et gr. decem predicto modo consistentium tenere, conservare, et salvas facere ad opus, ac nomine, et pro parte dictæ domine Agnessæ, et heredum suorum ipsasq; integre in omnem casum, et eventum dare solvere, restituere, et assignare, seu dari, solui restitui, et assignari facere eidem dominæ Agnessæ, vel heredibus suis in casu soluti matrimonij supradicti morte alterius coniugum predictorum, et in omnem alium casum, et eventum restituendarum dotium predictarum subscripto modo videlicet, quod si dictum matrimonium dissolveretur morte predicti domini Nicolai superstitibus dicta domina Agnessa superstitibus liberis, vel non superstitibus ex dicto matrimonio, dotes restituerentur, et earum restitutio, traditio, et assignatio realiter fieret; et fieri deberet predictæ dominæ Agnessæ, seu legitimæ personæ pro ea; Si vero dictum matrimonium dissolvi contingeret per mortem dictæ domine Agnessæ superstitibus liberis ex dicto matrimonio dictæ dotes darentur, et restituerentur, et earum restitutio fieret, et fieri deberet liberis ipsis ex dicto matrimonio procreandis, et superstitibus, et in casu quo non superessent liberi ex dicto matrimonio procreandi, et superstitibus ut est dictum, vel etiam si tempore mortis ipsius domine Agnessæ liberi ex eodem matrimonio superessent, et postea adita, vel non adita per eos, seu ipsorum nomine hereditate ipsius Agnessæ liberi ipsi omnes decederent in pupillari ætate, vel post quandocumque ab intestato sine legitimis liberis, et naturalibus, quod dictæ dotes, et bona dotalia deuenirent, et deuenire debeant, et earum restitutio fieret, et fieri deberet proximioribus, et magis propinquis eiusdem dominæ Agnessæ integre in pace, et sine contrarietate aliqua; Ita quod eo casu eidem domino Nicolao, vel alijs

qui-

quibuscunque coniunctis eisdem liberis ex paterna linea, vel etiam succedere pretendentibus eis vigore pupillaris substitutionis, vel aliter quouis modo, nullum ius in eisdem bonis acquireretur, sed illas dictus dominus Nicolaus, & quicumque proximiores ex paterna linea dictorum liberorum procreandorum ut dictum est, ex matrimonio supradicto, & ab intestato, vel ex pupillari substitutione forsitan, vel aliter succedentes, eisdem consaguineis, ut supra & magis coniunctis eisdem dominæ Agnessæ restituere tenerentur, & deberent præsentem tunc, & expresse consentiente, ac volente dicto domino Nicolao, & de his specialiter, & expresse cerciorato salva nihilominus eidem dominæ Agnessæ potestate testandi, & relinquendi de dotibus ipsis secundum usum, & consuetudinem Ciuitatis Neap. Et fuit etiam tunc actum, et declaratum expresse quod contingerit ipsum dominum Nicolaum præmori dictæ dominæ Agnessæ uxori suæ superstilibus liberis ex dicto matrimonio, uno vel pluribus, & post modum liberi, seu filij ipsi morirentur in pupillari etate, vel ab intestato quandocunq; sine liberis, quod nullum eidem dominæ Agnessæ, & consaguineis suis ius deberetur, nec esset quomodolibet acquisitum super bonis paternis ipsorum filiorum, nec eis succederet, aut succedere deberet quia sic inter eos expresse conuenerunt; Et insuper præfatus dominus Nicolaus ex tunc contemplatione, et causa matrimonij supradicti, & consideratione dotium prædictarum realiter receptarum per eum, olim sicut dixit ab eadem domina Agnessa, & ex alijs rationibus, & causis eum tunc iuste mouentibus, & inducentibus sicut dixit sponte legitime, et sollempniter constituit ex nunc promisit ordinauit, et fecit eidem dominæ Agnessæ præsentem, & recipientem antefatum seu pro antefato, & in locum quartæ florenos quingentos de auro recti cunei, et iusti ponderis super omnibus, & singulis bonis suis mobilibus, et stabilibus habitis, et habendis secundum usum, et consuetudinem Ciuitatis Neap. Ita quidem quod si contingeret matrimonium ipsum dissolui per mortem dicti domini Nicolai quod absit, absque liberis ex ipso matrimonio derelictis, quod dicta domina Agnessa lucrifaceret ipsum antefatum florenorum quingentorum de auro ad plenam potestatem, et usumfructum, ubi uero solueretur matrimonium ipsum per mortem dicti domini Nicolai,

lai,

lia, liberis ex dicto matrimonio superstitibus, quod dicta domina
 Agnessa lucrifaciet ipsum antefatum ad usumfructum tantum;
 Quo quidem casu si omnes liberi ipsi ex dicto matrimonio descendentes
 quandocumq; morirentur dicta domina agnessa superstiti, quod
 dicta domina Agnessa dictum antefatum lucrifaceret etiam, et
 haberet realiter antefatum ad plenam proprietatem, et usumfru-
 ctum iuxta usum, et consuetudinem dictae Ciuitatis Neap facien-
 te de lucrifatione quarta mentionem expressam, et promisit ex
 tunc dictus dominus Nicolaus, eidem dominae Agnesse pro se, et
 suis heredibus stipulanti constitutionem dicti antefati constitui
 in locum dictae quarta iuxta consuetudinem modo predicto habere
 ratam, et firmam non venire contra, et ipsum antefatum modo
 misso constitutum traddere, et realiter assignare, et assignari fa-
 cere eidem dominae Agnesse, seu legitima personae pro ea statim
 soluto matrimonio supradicto per mortem dicti domini Nicolai,
 et in omni alio casu consecutionis, et petitionis ipsius secundum
 iura, ac usum, et consuetudinem dictae Ciuitatis Neapolis: Et
 nihilominus predictus dominus Nicolaus, pro maiori cautela
 dictae dominae Agnesse, et eius heredum pro dictis dotibus untiarum
 centum undecim, tare norum quindecim, et gr. decem, et
 antefato predicto florenorum quingentorum de auro in casu re-
 stitutionis, et consecutionis ipsorum fideiussores ex promissores, et
 principales pagatores dedit, et posuit tunc penes eandem domi-
 nam Agnessam presentem, et recipientem pro se, et heredibus suis,
 nobiles viros Antonium Carazolium, et dominum Ioannem Ga-
 liotam de Neap. Militem, et quemlibet ipsorum principaliter
 proprio nomine, et in solidum fideiusserunt, et obligauerunt se, et
 eius heredes, et successores, et bona ad dictas dotes, et antefatum
 modo quo superius continetur, et de predictis, dotibus, et antefa-
 to rogatum fuit instrumentum in cautelam ipsius dominae Agnesse,
 per manus mei predicti notarij Cicci Starola, in quo interuenit
 pro Iudice quondam Iudex Leonarpus Zanzalis de Neapoli, et
 interuenerunt certi testes, et contigit qd dictus Iudex Leonardus
 qui pro Iudice interuenit in instrumento predicto dotium, et an-
 tefati predictorum, et aliqui ex dictis testibus qui interuenerunt
 in instrumento, et antequam pro Iudice, et testibus se subscribe-
 rent,

rent, in eodem fuerunt sicut domino placuit vita sancti, & sublati de hoc seculo; Quibus omnibus coram nobis, sic legitime confessatis recognitis, & assertis, prædictus dominus Nicolaus volens ipsam dominam Agnessam eius uxorem, cautiorẽ facere de dictis dotibus untiarum centum undecim tarenorum quindecim, igitur de summa, & quantitate dotium prædictarum, & de dicto antefato florenorum quingentorum de auro sibi ut prædicitur constituto, ac facere securam præsertim ex eo quia per mortem dicti quondam Iudicis Leonardi, non poterat instrumentum dictarum dotium, & antefati primarũ receptarum, ut præmittitur, & constituti, de facili reassumicoram nobis prædictis Iudice, notario, & testibus, & in præsentia dicte dominæ Agnessæ recipientis, & stipulantis pro se, & heredibus suis, idem dominus Nicolaus sponte legitime, & expresse ratificauit, confirmauit, & acceptauit receptionem dictarum untiarum centum undecim tar. quindecim, & gr. decem de summa, & quantitate dotium, prædictæ eiusdem dominæ Agnessæ, ac constitutione dicti antefati florenorum quingentorum de auro facta modo prædicto, & omnia, & singula superius narrata, confessata, & recognita, ac ipsa habere voluerunt ex nunc pro ut ex tunc, et ex tunc pro ut ex nunc efficacem roboris firmitatẽ, remanente nihilominus firma fideiussione prædicta, quæ ex præmissis non intelligatur nouata, sed prima conuentio cum his quæ in se continet, et præsens instrumentum, & contenta in eo valeant cum effectu, quinimo prædictus dñus Nicolaus sponte pure publice, & bona fide asseruit cõfessus fuit, & legitime recognouit ad interrogationem coram nobis legitime sibi factam per dictam dominam Agnessam uxorem suam tunc præsentem, & tunc ex inde interrogantem, se præsentialiter, & manualiter, recepisse, & habuisse, & peruenisse ad manus suas, a dicta domina Agnessa uxore sua totam residuam quantitatem dotium prædictarum, usque ad dictam summam florenorum mille de auro, & prædictis primis dotibus untiarum centum undecim tt. quindecim, & gr. decem prædicto modo consistentibus, & dedita residua quantitate ipsarum dotium usque ad dictam summam florenorum

P

mille

mille de auro, peruentis ad manus suas modo prædicto, prædictus dominus Nicolaus tenens, vocans, & reputans se contentum non derogando præmissis, nec ea nouando, sponte promisit, et conuenit sollemni stipulatione proprio, & principali nomine eidem dominæ Agneti pro se, & suis hæredibus stipulanti, dictas dotes vntiarum centum undecim tt. quindecim, et gr. decem, et dictam residuã quantitã dictarum dotium vsq; ad dictam summam florenorum mille de auro, tenere conseruatam, & saluas facere ad opus ac nomine, & pro parte ipsius dominæ Agnesse, & eius heredum, ac ipsas dotes totas, et integras, integre in omnem casum, & euentum dare, soluere, restituere, et assignare, seu dari, solui, restitui, et assignari facere eidem dominæ Agneti, vel hæredibus suis in casu soluti matrimonij supradicti, morte alterius coniugum præfatorum, & in omni alio casu restitutionis dotium prædictarum in casibus modo, et forma superius declaratis, ac restitutionem traditionem, et assignationem dotium prædictarum omnium casibus, & modo prædictis ponere ad effectum, et non deficere, vel cessare, aut aliter deuiare, sed prædicta omnia, et singula adtere, adimplere, & efficaciter obseruare, vel venire, et amplius prædictus Nicolaus contemplatione matrimonij supradicti, et habens respectum ad dictas dotes, ex alijs rationibus, & causis mouentibus eum, sollemniter, et legitime dictum antefatum florenorum quingentorum de auro olim constitutum per eum ratificauit, confirmauit, acceptauit, & nihilominus ad habundantio rem cautelam ipsius dominæ Agnetis, et eius heredum non derogando iam factis, extrenue promisit, ordinauit, et fecit eidem dominæ Agnesse uxori sue presenti, & recipienti super omnibus, & singulis bonis suis mobilibus, & stabilibus habitis, & habendis ubicunque sitis, et positis, secundum dictum usum, & consuetudinem de ciuitate Neapolis de quarta loquente, cui consuetudini dicte partes stare voluerunt, et se voluntarie submiserunt; Et promisit dictus dominus Nicolaus per stipulationem sollemnem eidem dominæ Agneti uxori sue sollemniter stipulanti, & recipienti dictam constitutionem antefati factam modo prædicto, habere ratam, & firmam, & non venire

nire contra, & dictum antefatum dare traddere, & assignare per se, & suos heredes eidem dominæ Agneti iuxta vsus, et consuetudinem dicte Ciuitatis Neap. sine alia contrarietate vel diminutione, volentes, & consentientes ex nunc dicti coniuges ex sollempni stipulatione vicissim habita inter eos, quod præsens instrumentum dotale realiter reassumptum, & consensu, voluntate, & beneplacito ipsius domini Nicolai, illam vim effectum robur, & efficaciam habeat, pro inde sicut quodcunque aliud instrumentum dotale, & quod contra præsens instrumentum, & contentis in eo, nulla probatio valeat, nec possit admitti in contrarium, quod præscriptæ dotes habeant, & consequantur omnia, & singula priuilegia de lege, et canonica, aut consuetudine Neapolitana dotibus mulierum generaliter, & specialiter introducta, reseruatæ pactis, & conuentionibus suprädictis, & pro prædictis, et infrascriptis omnibus, & singulis firmiter per dictum Nicolaum, & suos heredes, & successores actendendis, adimplendis, & inuiolabiliter obseruandis, uti conuentum est superius, & promissum, iuxta conuentiones, et promissiones prædictas, et ut contra nõ fiat, nec actententur contra fieri quoquo modo, dictus dominus Nicolaus sponte obligauit se suosq; heredes uniuersales, & singulares, & bona sua omnia mobilia, et stabilia, præsentia, & futura, licita, & illicita, et alia cuiuscunque vocabuli appellatione distincta, dicte dominæ Agneti presenti, et recipienti pro se, heredibus, & successoribus suis, sub pena, & ad penam dupli dotium, & antefati prædictorum medietate v3. Ipsius pœne si eam committi contingat, Reali Curie applicanda, aut alteri curie ubi fuerit ex inde facta reclamatio, seu querela, & reliqua medietate pœne eiusdem dicte dominæ Agneti, et suis heredibus, & successoribus integre persolueda, me prefato notario tanquã persona publica pro parte dicte Curie, & dicte dominæ Agnetis pro se, & heredibus suis, ac dicto domino Nicolao pœnam stipulantibus ante dictam, Acto inter eos expresse, quod pœna ipsa toties comictatur petatur, et exigatur cum effectû à dicto domino Nicolao et heredibus suis, quoties fuerit ex inde quomodolibet contrauentum,

seu

seu contraueniri quomodolibet attentatum, dictaq; pœna com-
 missa, vel non commissa, et exacta, vel non exacta, aut gratio-
 se remissa, præsens contractus nihilominus cum omnibus quæ
 in se continet in sua semper maneat firmitate, cum refectione,
 & integra restitutione omnium damnorum interesse, & expen-
 sarum litis, & extra, seu quæ contingerit forte eandem dominã
 Agnessam, vel eius heredes, et successores premissorum occa-
 sione subire. De quibus damnis, expensis, & interesse stari, et
 credi debeat assertioni cum iuramento tantum dictæ dominæ
 Agnetis, et eius heredum, et successorum, nulla alia probatio-
 ne quæsita; Ita quod reduci non possit ad arbitrium boni viri,
 nec quomodolibet appellare, vel aliter ex inde reclamari; Acto
 sollempniter stipulatione inter eos, q̄ contra præsens instrumen-
 tum, et contenta in eo, nulla iura, vel facti probatio valeat, nec
 possit admitti, propter quam restitutio, et solutio omnium di-
 ctarum dotium. et eiusdem antefati casu, et modo prædictis im-
 pediri possit, aut in longum protrahi, vel differri, lege, iure,
 usu constitutione, et consuetudine qualibet non obstante, nec
 ipsarum dotium restitutio, solutio, seu satisfactio probari possit
 per testes, nec per aliquem alium probationis modum, presenti
 dotali instrumento in manibus dictæ dominæ Agnetis, vel eius
 heredum sano, et integro apparente, & quod omnia illa iura
 quæ sunt in fauorem dotium introducta, habeant locum, &
 effectum, ad restitutionem dotium earundem, & quod in casu
 contrauentionis prædictorum pro prædictis dotibus, et antefa-
 to in casu ubi vendicauerit sibi locum, et non fuerit eidem do-
 minæ Agneti, vel eius heredibus, & successoribus de eis quo-
 modolibet satisfactum, ac pro dicta pœna expensis, & interesse,
 liceat, & licitum sit eidem dominæ Agneti, et suis heredibus,
 & successoribus pro se, vel alijs auctoritate propria absque
 iussu, vel licentia iudicis, magistratus, aut prætoris, & sine
 decreto Curie vel mandato, solum præsentis instrumenti vi-
 gore capere, et apprehendere de bonis quibuscunque ipsius do-
 mini Nicolai, & eius heredum, & successorum mobilibus,
 & stabilibus habitis, & habendis ubicunque sitis, & positis,
 & in eis realiter iniunctionem habere, & incontinenti,
 vel

vel quandocunque voluerit vendere, & alienare, vel insolu-
 tum eis tenere, et dare prout elegerit quod satisfiat sibi integre
 de premissis, nulla denunciatione, siue citatione premissa, nul-
 loque interuallo temporis expectato, vel aliqua iuris, vel facti
 sollemnitate seruata, vel in huiusmodi bonis capiendi, ven-
 dendi, alienandi, capiendi, vel in solutum tenendi, & dandi
 de iure erit; Et renuntiauit dictus dominus Nicolaus super
 predictis, & quolibet predictorum ex certa sua scientia vo-
 luntarie legitime, ac domina Agneti recipienti, & stipulan-
 ti, ut supra exceptioni dolimali, vis, metus, & in factum
 presentis non sic celebrati contractus, & rei (predicto, & sub-
 scripto modo,) non gesta, seu aliter habitæ, quam in presenti
 instrumento continetur, & est expressum, priuilegio fori, be-
 neficio restitutionis in integrum, conditioni ob causam, & sine
 causa, ex actionum non factarum, et non sequutarum realiter,
 ratificationis, et acceptationis predictarum modo predicto,
 dictas dotes non realiter receptas, & habitas non boni, non ele-
 cti, & non ponderati argenti, non factæ, & non secutæ reali-
 ter renuncians legi dicenti, probationis modum non esse an-
 gustandum, & bona capta incontinenti non posse vendi, exce-
 ptioni hosticæ dilatoricæ, & moratoricæ, prescriptioni, etiam
 pro predictis impetrare non debeat, nec uti impetrata, sub pæ-
 na predicta, legi dicenti, contractum factum inter virum, &
 uxorem constanti matrimonio non valere, literis, priuilegijs,
 cedulis, & rescriptis quibuslibet in contrarium impetratis, vel
 impetrandis, ac omnibus alijs iuribus legibus exceptionibus aut
 compensationibus, allegationibus, & defensionibus iuris, &
 facti quibus, et propter quæ, dictus dominus Nicolaus, vel
 eius heredes, et successores contra, et aduersus predicta, vel
 ab ipsorum obseruantia se tueri, iurique dicenti generalem
 venditionem non valere, & iuri per quod cauetur; quod præ-
 dicto iuri renunciari non possit, cercioratus, prius dictus do-
 minus ut dixit, de iuribus ipsis, ac effectibus, & beneficijs eo-
 rundem, & nihilominus dictus dominus Nicolaus pro præ-
 dictis omnibus, et singulis firmiter per eum, & suos heredes, et
 successores attendendis, adimplendis, & inuiolabiliter obser-

Q uan-

uandis uti conuentum est superius, et promissum, et ut contra non fiat, nec actentetur contra fieri quoquo modo, quod que predicta omnia, et eorum singula vera sint eidem dominæ Agneti presentis, et recipienti coram nobis ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, sponte iurauit, et prestitit iuramentum, volens et statuens expresse, quod predicta pena periurij per dictam penam pecuniariam, et è conuerso una per aliam non tollatur, impediatur, seu suspendatur, sed de utraque agi, et accusatio fieri simul, vel separatim in uno iudicio vel diuersis, in quacunque Curia, seu foro, quibuslibet priuilegijs non obstantibus quoquo modo; unde ad futuram rei memoriam, et dictæ dominæ Agnetis, et eius heredum, et successorum cautelam, factum est ex inde hoc presens publicum instrumentum per manus mei Notarij supradicti, signo meo solito signatum subscriptione mei qui supra Iudicis, et nostrorum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum, quod scripsi ego predictus Notarius Ciccus publicus ut supra, qui premissis omnibus rogatus interfui ipsumque meo consueto signo signaui: Locus signi; Testes: Dominus frater Ciccus Caracciolus Prior Capuæ, Dominus Marinus Caracciolus, Dominus Lippus Caracciolus, Dominus Carolus Caracciolus, Dominus Robertus de Loffredo, Abbas Maczeus Zurulus, Ioannes Latrus dictus Guercius, Dominus Iacobus Caracciolus, Dominus Robertus de Loffredo, Dominus Actinellus Piscicellus, Dominus Iacobus Damianus de Auersa etc. Ego Anellus Iuuenis de Neapoli qui supra Iudex ad contractus subscripsi ✝ Signum Crucis proprie manus dicti Marini Caraccioli de Neap. Militis testis, qui predictis interfuit scribere nescientis, pro quo ego predictus Notarius Ciccus hanc subscriptionem feci; Ego Petrus Caracciolus Miles testis subscripsi; Ego Actinellus Piscicellus de Neapoli Miles testis subscripsi; Ego Carolus de Neapoli Miles testis subscripsi etc. Ego Notarius Iacobus de Damiano de Neapoli testis subscripsi; Ego Abbas Maczeulus Zurulus de Neapoli testis subscripsi, etc.

Con-

Concessio collectarum Castrorum Sancti Seuerini, & Rofrani
Iacobo de Morra, pendente recuperatione Terræ
Morre, qua (pro fide seruanda) ab hostibus
fuerat spoliatus anno 1385.



*M*argarita Dei gratia Regina Hierusalem, & Siciliae prouinciae, & Forqualquerij, & Pedemontis Comitissa; Serenissimi Principis Domini Regis Caroli tertij, reuerendi domini Viri nostri generalis Vicaria; Vniuersis presentes literas inspecturis, tam presentibus, quam futuris, si, & principalis authoritas, cui prouida de subiectis debet esse conspectio, merentibus gratiose habeat prouidere de premijs, passis (pro seruanda fidelitate) dispendia, debetur compensationis rependium in multiplicatis cum notoria damnificatione iacturis. Sane attenda Immensa fidelitatis constantia Iacobi de Morra ipsius Castrum Morrae utiliter Domini, cambellani, & fidelis nostri dilecti, ac actentis damnis importabilibus, quæ ipse Iacobus subtulit, dando de se, alijs virtutis exemplum, regulam, & doctrinam, qui firmans, & plantans sinceram fidem suam, in solido, & adamantino lapide, perdidit nouiter dictum castrum suum Morrae de Prouincia Principatus, ultra Serras Montorij, spoliatus omnibus bonis per hostes emulos, et rebelles Regiæ Maiestatis, & nostræ, adeo, quod reductus est ad extremam paupertatem, et verecundam inopiam, Vt pro inde ostendamus sibi aliquam regiam gratitudinem, & possit se aliquo modo sustentare, donec ad maiora ei premia conferenda, nobis dabitur aptitudo; eidem Iacobo generalem collectam, & pecuniam generalis collectæ debitam, & debendam annis singulis, Regiæ, & nostræ curiæ per vniuersitatem, & homines Castrum Sancti Seuerini de Camerota, nec non, & pecuniam generalis collectæ debitam similiter, & debendam per vniuersitatem, & homines Castrum Rofrani de dicta Prouincia Principatus Citra, in subsidium expensarum, & pro vita, & sustentatione ipsius, damus, tradimus, & concedimus ex nunc in antea singulis annis, donec v3. Ipse Iacobus recuperabit, & rehabeat dictum castrum

castrum Morra ad manus suas, de certa nostra scientia, cum deliberatione assistentis nobis Consilij, Vicariatus auctoritate qua fungimur, et gratia speciali, tenendas per eum modo predicto immediate in capite à regia, et nostra Curia nullumq; alium præter dictum Dominum Virum nostrum, et nos, hæredes, et successores nostros, in dicto regno in superiorem, et dominum exinde recognoscat, absque alia præstatione feudalis seruitij, seu adobe pro predicta pecunia utriusq; collectæ, regie, et nostræ curiæ pro indefacienda, cum ipsum seruitium ei remisimus gratiose, inuestientes eundem Iacobum de presenti nostra gratia per anulum nostrum præsentialiter, ut est moris, quam inuestituram vim, ut efficaciam veræ, et realis traditionis, et assignationis dictarum collectarum, modo superius enarrato factæ, volumus, et decernimus obtinere, amplius concedentes sibi in maioris gratiæ cumulum quod non per manus vicegerentium iustitiariorum, erariorum, commissariorum, et officialium, vel aliorum quorumcunq; sed quod ipse Iacobus percipiat, et habeat per manus dictarum vniuersitatum, seu collectarum qui nunc sunt, et pro tempore fuerint pecuniam utriusque collectæ predictæ, et quod ipse Iacobus, seu procurator ipsius, eisdem Vniuersitatibus, Sindicis, seu Collectoribus faciat apodixas, quas eis plene sufficere volumus ad cautelam; hanc namq; damus ipsis vigore præsentium auctoritatem, ac expressiue in mandatis dictis Iustitiarijs, et officialibus alijs quibuscunq;, quod de recollectione dictæ pecuniæ, se nullatenus intromittant, quin potius ad omnem, et quamcunq; requisitionem dicti Iacobi, vel procuratoris sui, sibi in præmissis, et circa præmissa saueant efficaciter, et assistant, dictas vniuersitates, et homines (si renitentes existerent) efficacibus remedijs compellendo, literis ordinationibus, et mandatis huic forte contrarijs factis, et faciendis quibuscunq; non obstantibus quoquo modo, in cuius rei testimonium præsentis literas, ex inde fieri et pendenti Maiestatis nostræ Vicariatus sigillo quo utimur iussimus communiri. Datum Neap. per Virum nobilem Gentilem de merolinis de Sulmona legum doctorem, magnæ regie Curie, magistrum rationalem locum tenentem

nentem prothonotarij Regni Siciliae, Confiliarium, & fidelem Regium, atq; nostrum dilectum, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quinto, die vigesimo Decembris, nona Indictionis Regnorum dicti Domini Regis Viri nostri, Anno quinto, &c. Turellus h. c. R. de mandato R. Zanonus R. in cancellaria prothonotarium. etc.

Rescriptum Reginale ad instantiam Iacobi, quod nullus pecunia intercedente audeat ab hostibus recipere prædictam Terram suam Morrae in anno 1386.



Argarita Dei gratia Regina Vngariae, &c. Hierusalem, & Siciliae Prouinciae, & Forcalquerij, ac Pedimontis Comitissa, & Illustrissimi Domini Regis Caroli Tertij Reuerendi Domini Viri nostri in Regno Siciliae, & Comitatus prædictis

Vicaria Generalis, ad futuram rei memoriam notum facimus uniuersis earum seriem inspecturis, tam præsentibus, quam futuris, quod oblata fuit nouiter Maieitati nostrae, & assistenti nobis Consilio, petitio in serie subsequenti; Sacrae Reginali Maieitati, Regioque, & vestro Sacro Consilio humiliter, & rationabiliter exponit, supplicat, protestatur, & dicit, Iacobus de Morra ipsius Castri utiliter dominus, fidelis vester, dicens, Quod cum ipse cum sua familia, atque vaxallis existeret in dicto suo Castro Morrae fidelis, & in regia atq; in vestra fidelitate, fuit proditorialiter, & proditorio modo, dictum suum Castrum, cum hominibus, & vaxallis, & cum omnibus bonis suis, atheotonicis, & alijs infidelibus vestris, captum, quod, & ad huc per dictos vestros emulos detinetur, et dicti vestri emuli detemptores dicti Castri, ad tantam inopiam deuenerunt, quod nullo modo possunt plus ibi morari, ex defectu victualium quæ non habent, sed datum esse eidem exponenti intelligi, quod sunt nonnulli vestri fideles illius prouinciae, & Regni vestri, qui tractatum habent, & nituntur pro posse habere per modum redemptionis, dictum Castrum, & ex alijs tractatibus, atq; titulis, sunt etiam nonnulli de ipsis

R

fide-

*fidelibus vestris, qui sub colore virtutis militantes, fingere vo-
 lunt castrum ipsum à manibus, & potestate dictorum detem-
 ptorum eripere & illud retinere, considerantes, & dicentes
 se dictum Castrum retinere quamdiu, tam pretium quod ipsi
 dedissent dictis detemptoribus, quam expensas per eos factas
 circa redemptionem Castri, seu ad eripiendum dictum Ca-
 strum à manibus, & potestate dictorum detemptorum, quam
 pro alijs fortificationibus ipsius Castri, et alijs expensis neces-
 sarijs, et utilibus, postquam Castrum ipsum ad manus ipso-
 rum peruenerit, haberent ab ipso exponente, cum exponens ne
 dum quod posset pretium redemptionis, et expensarum reddere,
 immo ad tantam paupertatem est deductus, quod vix potest se
 aliquantulum sustentare, et per hanc viam, per dictos vestros
 fideles, cogitatam, ipse exponens veniret exclusus totaliter a do-
 minio, et possessione dicti sui Castri, et ultimo cogeretur, modi-
 co pretio vendere dictis detemptoribus, & alijs excipientibus
 castrum ipsum, quod non est de voluntate sua, quandoque dicti
 vestri fideles praedicta tractantes, et cogitantes, nituntur ad
 praedicta habere à vestra Maestate assensum, ut sub praedicto
 colore vel alias, titulo redemptionis habere ut praedicatur, &
 perpecuo retinere castrum ipsum, verum pia, & benigna
 Maestas, licet alias de iure communi ubi res in potestate ho-
 stium est, & à manibus ipsorum redimitur aliquo pretio, res
 illa redempta iure pignoris est, seu in causam pignoris, quam-
 diu praedicto redemptori pretium solvatur; licet ubi non tam
 pretio redimitur, quam virtute militari liberatur, seu recu-
 peratur tales recuperantes non censentur, nec censeri debent
 domini, nam in regno vestro, haec captiuitatis iura; et post li-
 minij, in casu proposito, (ubi feudum, seu castrum feudale
 vertitur, & contradictio apparet) non vendicant sibi locum,
 sed ipse exponens protestatur, & protestando dicit & exponit,
 quod intentionis suae non est, quod nullus redimat dictum suum
 Castrum à manibus dictorum detemptorum, quocumque pra-
 tio modo aliquo, siue causa, immo prohibet quoscumque praedi-
 cta tractantes, eripere volentes, recuperare, & redimere di-
 ctum Castrum, ut ad recuperandum eripiendum, et redimen-
 dum*

dum nullatenus se intromittant, cum (in viribus dictæ suæ protestationis persistens) dicat, se non consentire, nec velle teneri ad restitutionem aliquam expensarum, & pretij cuiuscunq; nec ad retentionem iuris, pignoris dicti Castris, nec quod alias sit negotium ipsius utiliter, vel necessario gestum, & propterea dignetur Maiestas vestra, prædictis talibus fortassis dictum vestrum assensum petentibus, illum vestrum petitum assensum expressis denegare, et eidem exponenti ad tollendas prædictas vias, literas vestras magno pendenti sigillo munitas, cum inserta forma præsentis petitionis, & protestationis, eidem exponenti concedere, pro cautela, & ut ipse exponens, valeat notificare, inter fideles vestros, ut ad alia non cogitent peruenire, cum speret ipse exponens, immo certum se reddit, quod in hac diuina Serenissimi domini, domini Regis Caroli Tertij Vngariæ, Hierusalem, & Siciliae Regis Reuerendi Viri vestri victoria, habere, & recuperare recta via dictum suum Castrum, nullo pretio per eum dando dictis detemptoribus, vel alias redemptoribus dicti Castris sui, & illud ad honorem, & fidelitatem Regiam, atque vestram habere, tenere, & possidere, et ipsius pacifica possessione gaudere; De qua quidem oblatione, pro cautela ipsius superstitis, & heredum suorum ad eius instantiam, has nostras testimoniales literas Vicariatus auctoritate qua fungimur, cum deliberatione dicti assistentis nobis Consilij factas ex inde nostro pendenti sigillo munitas, sibi duximus concedendas; Datum Neap. per virum nobilem Gentilem de Merolinis de Sulmona, legum doctorem magnæ regie Curie Magistrum rationalem Locumtenentem Prothonotarij Regni Siciliae Consiliarium, & fidelem regium atq; nostrum Anno Domini millesimo cccclxxxvij. die xvij. Martij nonæ Indictionis regnorum dicti regis Vngariæ etc. anno primo Hierusalem, & Siciliae anno quinto. Iacobus de Madio Zanonus sol. tt. iiij. etc. registrata in Cancellaria per Prothonotarium etc.

Literæ

Litteræ Iustitiæ pro recuperatione Terræ Morræ
anno 1399.



*L*adislaus Dei gratia Hungaria, Ierusalem, Sicilia,
Dalmatia, Croatia, Romæ, Seruia, Galatia,
Lodomeria, Pomerania, Bulgariæque Rex, Pro-
uincia Forcalquerij, ac Pedimontis Comes, Ma-
gistro Iustitiario Regni nostri Sicilia, vel eius
Locumtenenti, & Iudicibus Magnæ Curia Vicegerentibus,
quam nostris Iustitiarijs, & Prouincia Principatus ultra
Serrasc Montorij, ac officialibus nostris alijs, ad quos spe-
ctat, & spectare potuit, quocunque titulo nuncupentur per
dictum nostrum Regnum Sicilia constitutis, presentibus, &
futuris fidelibus nostris gratiam, & bonam voluntatem,
sic commonet virtus generaliter redenda est iustitia singu-
lis, sic singulariter speciali Priuilegio facienda est resti-
tutio, & specialis: sane Vir nobilis Franciscus de Mor-
ra dilectus noster fidelis presens in nostra Curia, nobis
exposuit reuerenter quod dictus olim quondam Jacobus de
Morra pater dicti exponentis, & ipse similiter exponens
una cum dicto patre suo, haberent, tenerent, & possiderent pro
se, vel alios eorum nomine tenentes, & possidentes iuste, & ra-
tionaliter, ac pacifice, & quiete, & sub nostræ Regiæ Maie-
statis fidelitate ac in feudum immediate, & in capite à nostra
Curia Terram Morræ sitam in dicta Prouincia Principa-
tus Ultra cum integro Fortellitio, seu Castro hominibus va-
xallis, iuribus, et pertinentijs dictæ Terræ, non nulli Theoto-
nici nostri emuli stipendiarij, & fautores olim Ducis Ande-
gaviae hostis nostri, eius suffulti potentia, & contra fideles no-
stros hostilitatem exercentes, presatum quond. Jacobum ipsius
exponentis genitorem, & dictum etiam exponentem, possessione
dictæ Terræ cum Castro seu Fortellitio hominibus, vaxallis,
iuribus, et pertinentijs suis prædictis, auctoritate propria, &
de facto destituerunt, ac per violentiam, & hostilitatem spolia-
runt. Quæ quidem Terra cum huiusmodi castro, seu fortelli-
tio, hominibus, vaxallis, iuribus, & pertinentijs suis, uitio di-
ctæ


*Et violentie spoliationis, et destitutionis affecta, et ipso vi-
 tio non purgato, ad manus magnifici viri Aurelij de Januil-
 la Comitis Sancti Angeli, Consiliarij, et fidelis nostri dilecti,
 tunc dicto hosti nostro fauentis, et adherentis, post modum per-
 uenit, qui terram ipsam, cum Castro, seu fortellitio hominibus,
 et vaxallis iuribus, et pertinentijs suis eisdem, indebite tenuit,
 ac ad presens detinet, minus iuste percipiendo, et percipi ex
 inde faciundo, iura fructus redditus, et proventus peruenien-
 tes, et peruenientia ex eisdem, iniuris iniuriam, et ipsius ex-
 ponentis preiudicium, et iacturam, super quo dictus exponens
 nostre prouisionis remedium suppliciter implorauit? Cum igitur
 spoliatis iniuste, sit celeris restitutionis beneficio succur-
 rendum, volumus, et fidelitati vestre de certa nostra scien-
 tia, harum serie comictimus, et mandamus expresse, quod vos
 predicti presentes, magister Iustitiarius vel Locumtenens, et
 Iudices dicte Magnae Curiae ad ipsius supplicantis instan-
 tiam, vocato coram vobis dicto Comite Sancti Angeli, et alijs
 euocandis, si vobis (summarie, et de plano sine strepitu forma,
 et figura Iudicij, oblatione libelli, et contestatione litis) con-
 stiterit ut exponitur rem sic esse, statim iuxta tenorem regij
 capituli, super violentis destitutionibus editi, presatum Comi-
 tem Sancti Angeli ad restitutionem dicte Terrae Morrae cum
 castro, seu fortellitio, hominibus, vaxallis, iuribus, et perti-
 nentijs suis omnibus ante dictis, et cum fructibus medio tem-
 pore inde perceptis, et qui percipi ex inde potuerunt, facien-
 dam, supplicanti iam dicto, prout iustum fuerit auctoritate
 presentium compellatis, si vero dictus Comes, vel alij quicun-
 que, credit in dicta terra aliquod ius habere, illud si voluerint
 post factam restitutionem eandem, coram competenti Iudice
 ordine debito prosequantur, ac postquam praetacta possessio ta-
 liter fuerit restituta, tam vos ipsi presentes, quam vos alij suc-
 cessiue futuri, magistri Iustitiarij, et officiales, presatum sup-
 plicantem super possessione pacifica dicte Terrae Morrae, cum
 Castro seu Fortellitio, hominibus, vassallis, iuribus, et perti-
 nentijs suis predictis, quamdiu possessionis ipsius iuxta causa
 durauerit, manuteneatis, et iusti vestri fauoris praesidio de-*

S

fen-

sendatis, nec permittatis supplican-
tem ipsum, & quoscunque
alios eius nomine, Terram predictam tenentes, & possiden-
tes, super illius possessione per eundem Comitem, vel quosuis
alios turbatores illicitos, molestari, indebite opprimi, vel gra-
uari, audentem, vel audentes contrarium, q̄ ab huiusmodi
indebita molestatione desistant, per pœnarum impositiones, &
exactiones illarum, si in eas inciderint, aliaque debita, et oport-
tuna iuris remedia strictius cohibenda, præsensibus post oport-
tunam inspectionem earum, per cautelam remanentibus præs-
entanti efficaciter, et in antea. Quas magno nostro pendenti
sigillo iussimus communiri. Datum Gaeta in absentia Lo-
gothetæ, et Prothonotarij Regni nostri Siciliae, eiusque Locum-
tenentis per virum nobilem Burrellum auriliam de Neap.
legum doctorem, magnæ nostræ curiæ, Magistrum Rationa-
lem, Locumtenentem Magni Camerarij, Regni nostri Siciliae
Consiliarium, & fidelem nostrum dilectum, Anno Domini
Mccclxxxviii. die xij. Iulij septimæ indictionis Regnorum
nostrorum anno xij. tt. iiij. Registrata in Cancellaria etc.

Rescriptum Reginale in beneficium Terræ Morræ ne in-
inquisitionibus, & hospitij alijsque dispendijs, ho-
mines dictæ Terræ grauarentur, concessum
ad petitionem Iacobi de Morra eiusdem
Terræ Domini, anno 1362.



Ioanna Dei gratia Regina Hierusalem, &
Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Ca-
puae Prouinciæ, & Forcalquerij, ac Pedimontis
Comitissa, Iustituario Prouinciæ Principa-
tus Vltra Serras Montorij, necnon Iudi-
ei, & actorum notario secum per Curiam deputatis, ipso-
rumq; locatenentibus, præsensibus, & futuris fidelibus suis
gratiam, & bonam voluntatem: ut delatæ ad Audientiam
Regiam, sepius de processibus qui per nonnullos Præsides Re-
gni nostri Siciliae per officium indistincte quodammodo po-
nebantur haberi, querimonie graues, Regijsq; profecto sen-
sibus

fibus sedarentur, nec omitterentur opportuna remedia. Circa
 refrenanda mperuerforum audaciam ad patranda delicta,
 quin potius, in puniendis eisdem, ubi facti qualitas exposceret,
 iustitiae rigor exercendus adesset, Claræ memoriæ Dominus
 Hierusalem, & Siciliae Rex Robertus Dominus Auus noster,
 præhabita consuetâ deliberatione prouidit, ut ex tunc in antea
 nulli processus ex officio fierent, præterquam in subscriptis ca-
 sibus, sua limitatione restrictis, ubi videlicet pœna mortis im-
 ponitur, ciuilibus vel naturalis, aut membri abscissio, & cum in
 persona Ecclesiastica, & pupilli, ac viduæ flagitium est com-
 missum: Et insuper in homicidijs Claustrinis, ubi nullus ac-
 cusator apparet, in quibus etiam per veterem Constitutionem,
 specialis permittitur Inquisitio faciendâ; Ad supplicis igitur
 petitionis instantiam factæ nobis nouiter, per Iacobum de
 Morra Castri Morrae Dominum, nomine et pro parte Vni-
 uersitatis et hominum ipsius Castri, uassallorum suorû, nostro-
 rumq; fidelium, volumus, et fidelitati vestræ sub obientu gra-
 tiæ nostræ, districtè harum serie, de scientia certa nostra
 mandamus, quod tam tu præsens, quam vos alij successiue fu-
 turi, huiusmodi deliberatione ac prouisione Regijs diligenter
 ætenti, seruatisq; tenaciter, & fama referente clamorem, ut
 fieri consuevit; hinc hætenus non sine cuiusdam iniquæ usur-
 pationis abusu, & præcessoribus in antea repulsa penitus, &
 exclusa, in nullis, præterquam in prædistinctis dumtaxat ca-
 sibus, in illis denunciatore tamen legitimo comparente, contra
 eos per officium procedere nullatenus præsumatis, quinimo si
 tu præsens, contra præsentium seriem ad aliquid processisti cu-
 res in pristinum reuocare; Nos enim omnem processum, per
 vos omnes contra præsentem iussionem nostram fortassis ha-
 bitum, & habendum, ex nunc prout ex tunc, irritum fore de-
 cernimus et mandamus, Ceterum prænominatus Iacobus quo
 supra nomine, ipsi nostræ Maiestati exposuit querelanter,
 quod Iustitiarij in vestro Iustitiaratus officio præcessores, so-
 liti fuerunt certis eorum quesitis coloribus, morâ in dicto Ca-
 stro Morrae protrahere, cum eorum seruiantibus, & fami-
 liaribus, auferendo ipsis lectos, paleas, ligna, & alia utensilia
 absq.

absq; salarijs, pro eorum libito voluntatis, propter quæ, et alia
 grauamina varia, multi ex eis de Castro ipso recesserunt, &
 parati sunt ad præsens recedere, nisi per Maiestatem nostram
 de alicuius prouisionis nostræ, remedio succurratur; Nos hæc
 si vera sunt penitus abhorrentes, nec pati volentes ipsis nostris
 fidelibus oppressiones easdem, contra Capitulorum Regni no-
 stri seriem irrogari, volumus, & fidelitati vestræ harum serie
 de certa nostra scientia districte præcipiendo mandamus, quod
 tam tu præsens Iustitiari, quam vos alij successiue futuri a
 dictis illicitis extorsionibus, ac omnibus alijs suprädictis, et re-
 sidentia pariter in Castro prædicto, ultra dies tres, ac omnibus
 alijs illicitis actibus, qui formam capitulorum dicti Regni no-
 stri excederent, effectualiter desistentes, seu cessantes, quin im-
 mo eis iustis fauoribus assistentes, nihil indebitum contra iu-
 ris, seu capitulorum ipsorum formam, contra eos, seu eorum
 aliquem, aut ipsorum bona, ultra eorum voluntatem, attente-
 tis facere quoquo modo, nisi quatenus expedit pro recollectione
 nostræ fiscalis pecuniæ, & alijs tantum nostræ Curie necessa-
 rijs, infra terminum suprädictum, absque illorum dispendijs
 prædictis, & intolerabilibus detrimentis, ita quod per vos ali-
 quatenus contra dictorum capitulorum Regiam formam, eis
 inferre nullatenus præsumatis, Præsentibus post opportunam
 inspectionem earum, remanentibus præsentanti, efficaciter
 in antea valituris. Datum Neap. per nobilem Thomam
 de Bufalis de Messana, Militem magis nostræ Curie no-
 strum Rationalem Locumtenentem Prothonot. Regni Siciliae
 Consiliarium nostrum dilectum, anno Domini millesimo tri-
 centesimo sexagesimo secundo, die secundo Iunii, xv. Indictio-
 nis Regnorum nostrorum anno xx.

Priuilegium confirmationis Baroniae Sancti Seuerini, & Casalium prope Camarotam, in personam Francisci de Morra, filij Iacobi, 1404.



Nobilis Adislaus Dei gratia Vngariae, Ierusalem, Siciliae, Dalmatiae, Croatiae, Romae, Seruiae, Galatiae, Pomeraniae, Lodomeriae, Bulgariaeque Rex, Prouinciae, & Folcarquerij, ac Pedimontis Comitis, vniuersis presentes literas inspecturis tam presentibus, quam futuris, licet adiectione, plenitudo non egeat, nec firmitatem exigat, quod est firmum, confirmatur, tamen interdum quod robur obtinet, non quod id necessitatis exigat, sed ut confirmantis sincera benignitas clareat, & rei gestae cautele, robur dabunt anterioris accedat; Sane moti nouiter deuotis supplicationibus culmini nostro factis per virum nobilem Franciscum de Morra Castri Sancti Seuerini de Camerota, & Casalium eius, de prouintia principatus citra, ferras montorij vtilem dominum: Eidem Francisco, & suis heredibus vtriusque sexus, ex suo corpore legitime descendentibus, natis iam, et in ante nascituris in perpetuum iam dictum castrum Sancti Seuerini, cum eius casalibus iuribus, et pertinentijs omnibus hominibus, et vaxallis cum oneribus suis in abundantioris cautele suffragium, quae prodesse, & non officere consuevit: Tenore presentium de certa nostra scientia confirmamus, ratificamus, & etiam approbamus, & confirmationis munimine roboramus, validamus, volentes, & intendentes quod dicta nostra confirmatio, eidem Francisco, & prefatis suis heredibus, praemisso modo efficaciter stabilis, et incommutabiliter sit realis, & valida, ac etiam fructuosa, fidelitate nostra, feudali quoque seruitio, pro dicto Castro curiae nostrae debito, nostris alijs, & cuiuslibet alterius iuribus semper saluis, & nihilominus, ut qualibet haesitationis materia, a mente dicti Francisci penitus amputetur, et ut omnis scrupulus tollatur, mandamus vniuersis, & singulis officialibus nostris per regnum nostrum Siciliae, & praesertim, per dictam prouintiam principatus citra, constitutis quomodocunque

T, titulo

titulo, et denominatione notentur, officioq; fungantur, gentibus quoq; armigeris, ad nostra, & nostrorum fidelium stipendia militantibus, & patronis galearum, quatenus eidem Francisco, & hominibus dicti Castri, eiusque casalium nullam presumant facere, vel inferre, aut inferri facere novitatem, molestiam iniuriam, vel offensam, realem seu personalem, sicut habent gratiam nostram caram, quinimo à quibuscunq; volentibus dictum Franciscum indebite molestare super prædictis, protegant, ac etiam tueantur, & nihilominus concedimus dicto Francisco, ac volumus & iubemus, quod dictus Franciscus non possit, nec debeat compelli per quemcunq; nostrum officialem ad assignandum dictum castrum, seu illud eripiendum de manibus Francisci prædicti, nec Franciscus ipse teneatur, nec compelli possit ad assignationem dicti Castri cuicumque nostro officiali, vel alteri cuilibet faciendam, quocunq; mandato facto, vel faciendo incontra-rium non obstante, sub qua vis forma verborum consistente, etiam si de eo oporteret specificam facere mentionem, in cuius rei testimonium presentes literas ex inde fieri, et magno nostro pendentis Maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri, Datum in Castro nostro Ovi prope Neap. per manus nostri prædicti
anno Domini millesimo quadringentesimo quarto, die vigesimo septimo mensis Augusti, septima Indictionis regnorum nostrorum, anno decimo año registrata in Cancellaria per Prothonotarium &c.

Capi-

Capitaneatus ad Guerram, & Iustitiam Ciuitatis Catanarij
eiusque comitatus in personam Francisci de
Morra 1411.



*I*adislaus Dei gratia Vngaria, Ierusalem, Sicilia, Dalmatia, Croatia, Roma, Seruia, Galatia, Lodemenia, Pomerania, Bulgariæque Rex, Prouincia, et Forcalquerij, ac Pedimontis Comes: Nobili viro Francisco de Morra de Neapoli Militi de platea Capuanæ, Cambellano, et fideli nostro dilecto gratiam, et bonam voluntatem, ad bonorum custodiam, malorumque vindictam portat Princeps gladium, et exercet Imperij potestatem, qui dum iuste seuit in reprobos, pacificos seruat in tranquillitate securos, ut igitur executio iustitiæ vigeat, et neruus discipline publicæ non lentescat, prouidi constituendi sunt Præsides qui ab iniurijs innocentes custodiant, et a peritis hostijs æqualiter omnibus iura reddant: Sicque fide virtute, meritis, et conditione laudabili tuæ personæ, plenam ab experto fiduciam obtinentes, te Capitaneum ad guerram, et ad Iustitiam Ciuitatis nostræ Catanarij eius pertinentiarum, et districtus cum plena meri mixtisque Imperij, ac gladij potestate pro instanti anno, quartæ Indictionis, et deinde in antea, usque ad nostrum beneplacitum, viro nobili Petro Spatafora deuoto fideli nostro dilecto, nunc capitaneo Ciuitatis prædictæ, absenti ad alia curiæ nostræ seruitia reuocato, de certa nostra scientia, tenore presentium fiducialiter ordinamus, recepto prius à te solito fidelitatis, et de officio ipso exercendo fideliter, corporali ad Sancta Dei Euangelia iuramento, quo circa tuæ fidelitati precipimus quatenus statim dicto adueniente tempore, ad dictam Ciuitatem Catanarij te personaliter conferens circa statum hominum dictæ Ciuitatis prosperum, et tranquillum, ac nobis fidelem considerationis aciem, et studium diligentis operationis apponas, sicque dictum officium per nos ad iustitiam, et ad guerram inibi tibi commissum ad honorem, et fidelitatem nostram fideliter, et diligenter exerceas, singulis conquerentibus ministrando iustitiam,

*tiam, sine exceptione aliqua personarum, neminemque gra-
 uando, rancore, vel odio, seu releuando iniuste prece, precio
 gratia vel amore, nec non ecclesias, ecclesiasticas, & alias mi-
 serabiles personas, pupillos, et viduas iuxta protegendo fauo-
 ribus, & tuendo circa nocturnam oportunam, & diurnam
 Ciuitatis predictæ custodiam, curam peruiilem apponendo,
 quod fideles ipsi dictæ Ciuitatis in statu seruentur pacifico, re-
 proborum refrenent audaciam, honorum gressibus tutæ sint se-
 mitæ: Itemq; de ipsius administratione iustitiæ in qua utique
 iura communia, constitutiones, & capitula pro regni status
 reformatione composita, sine transgressione seruabis, processus
 lucidi comprobent, & opera laudanda comendent. Ecce nam-
 que, baiulis iudicibus, & uniuersis hominibus dictæ Ciuitatis
 Catanzarij, suisq; districtibus, damus vigore presentium, &
 per nostras literas expressius in mandatis, quod tibi tanquam
 Capitaneo Ciuitatis predictæ per nos ad guerram, & ad iusti-
 tiam velud præmictitur ordinato, in omnibus, quæ ad huius-
 modi Capitanei officium pertinere noscuntur, ad huiusmodi
 honorem, & fidelitatem nostram deuote pareant efficaciter
 obediant, & intendant; Nos enim pœnas, & banna, quas, &
 quæ infra tui temporis officij rite tuleris, rata geremus, & fir-
 ma, eaq; per te pro nostra curia irremissionabiliter exigere volu-
 mus, prout iustum fuerit à transgressoribus eorundem, à dicto
 autem Petro prædecessore tuo, quem per alias nostras literas
 ab eodem officio cessare præcipimus, in scriptis recipias sub sigil-
 lo suo, captiuos omnes, si quos habet cum nominibus & cogno-
 minibus, ac causis captionis, & detemptionis ipsorum, necnon
 residua quælibet cuiuscunq; fiscalis pecuniæ, acta & manda-
 ta pendentia, exequi, tam de tempore suo, quam suorum in eo
 officio præcessorum exequi sollicitè studeas & prudenter. Exa-
 minatione debita contra dictum prædecessorem tuum, sui ra-
 ciocinij tempore reseruata, quod si legitime docere non potue-
 rit residua ipsa recolligere, acta secundum iustitiam termina-
 re, & mandata pendentia exequi, infra sui tempus officij, iu-
 sta causa, & probabili nequiuisse; ad penam contra eum pro-
 cedatur iuxta ritum rationum, qui in talibus obseruatur; Et*

ut dictum Capitania officium favorabilius administres, tibi
 scutiferos equites, equis et armis decenter munitos, & in eo si-
 licet numero, quo per dictum prædecessorem tuum retineri in
 officio ipso consueuerunt, tecum continuo teneas ad prædistin-
 cta seruitia curiæ supradictæ, pro consultiore vero regimine
 dicti officij, tibi harum serie de dicta certa nostra scientia,
 plenam licentiam, & potestatem concedimus, quod possis, &
 valeas aliquem iuris peritum pro Iudice, & assessore, & ali-
 quem probum virum pro actorum notario, fideles quidem,
 sufficientes, et idoneos, de quibus sit merito confidendum, et de
 quorum defectibus & excessibus, tu nostræ Curie principaliter
 tenearis, assumere, & retinere tecum eodem officio, donec
 sicut tibi de illis per nostram curiam sit prouisum, et ne tam
 tu, quam dicti Iudex, & assessor actorumq; notarius, et alij
 supradicti cogamini in eisdem officijs, et seruitijs nostræ curiæ,
 proprijs sumptibus laborare, gadium tibi pro te, & alijs su-
 pradictis, ad illas rationes, ad quas dicto prædecessori tuo, nec
 non Iudici, & assessori, actorumque notario, et genti ordina-
 tionis equestri, & pedestri, secum per nostram Curiam depu-
 tati fuerint, per ipsam Curiam gagia stabilita, tenore præ-
 sentium stabilimus, quæ quidem gagia, tam tibi retineas, quàm
 singulis prædictorum (donec sicut, tu, et ipsi in eisdem officijs,
 et seruitijs nostræ Curie cōtinueritis) de prouentibus, de quibus
 docere, tui ratiocinij tēpore tenearis de q̄ pecunia prouentuum
 acquirendorum per te, dicti Capitania officij ratione facta, per
 manus tuas exhibeas atque soluas, & recipias ab eisdem quibus
 ipse solueris, exinde suis vicibus apodixas, & licet per alias
 nostras literas commissionis factæ Iudici sindicatori tibi ad-
 hibito iniūgatur, ut ad syndicationem prædecessoris tui, et alio-
 rum secum deputatorum procedat, iuxta capitula edita super
 hoc, quia tamen non est æquum, neque conueniens, ut officia-
 les in una tantum terra, & loco in quo huiusmodi gerentur
 officia, tantam moram trahere debeant pro syndicatione præ-
 dicta, quantam officiales ceteri, qui per diffusas prouintias
 statuuntur edita circa hoc capitula ipsa præfiniunt, cum il-
 lorum syndicatio minus ad id temporis exigat quam istorum,

V. volu-

volumus quod idem precessor tuus, et alij supradicti taliter
 sindicandi pro quolibet anno, quo inibi ipsa gesserunt officia,
 viginti tantum dierum spatio moram trahant, pro medie-
 tate v3. temporis, quod capitula diffiniunt memorata. Cete-
 rum extimamus condigne, laudabilia precessorum nostrorum
 Regum Siciliae prouida instituta, quae seruare iubemus, tam
 per te, quam dictos Iudicem, et actorum notarium et qtu, et ipsi,
 post depositionem officiorum dictorum, primo coram Viro magnifico
 magno Camerario, regni nostri Siciliae, seu eius Locutenentibus
 ordinatis per eum, super audientia rationum summariarum offi-
 tialium dicti Regni, et deinde coram magistris rationalibus magnae
 nostrae Curiae, ubicunq; residentibus comparere curetis, positu-
 ri eis, tu quidem primo coram dicto magno Camerario, seu Lo-
 cumtenentibus eius, de officio summariam. et demum coram
 dictis magistris rationalibus, tam tu, quam dicti Iudex, et as-
 sessor, et actorum notarius particulariter, et signanter de
 administratione iustitiae, quam seruastis infra tempus officio-
 rum dictorum, conquerentibus singulis, tam in causis fiscali-
 bus, quam etiam priuatorum, finalem, et debitam rationem.
 Tu vero satis facturus praefatae nostrae Curiae de omnibus in
 quibus per rationem ipsam praedictae curiae forsitan debitor
 apparebis, processum in super syndicationis praemissae fideliter
 in scriptis redaptum, infra mensem unum postquam comple-
 ta fuerit, sub sigillis tuo dictorum Iudicis, et actorum notarij
 ad nostram Curiam studeas destinare; has autem nostras
 literas ex inde fieri, et magno nostro pendenti sigillo iussimus
 communiri, quas ex certis causis nos mouentibus subscripsi-
 mus propria manu nostra, Ritu, vel obseruantia nostrae curiae
 quacunque contraria non obstante. Datum in nostro felici
 Campo prope per manus praedicti Regis Ladislai
 Anno Domini millesimo cccxxi. die xxi. inter Regnorum
 nostrorum Anno Registrata in Cancellaria

Extracta est praesens copia à suo originali privilegio omni-
 bus

bus supradictis sollempnitatibus roborato in pergamenos scripto cum regio pendente sigillo cere rubee, mihi consignato per dominum Hieronimum de Morra quond. domini Jacobi, ad hanc fidem, et copiam faciendam, et per me eidem restituto, et quia facta per me collatione concordat cum originali, Ideo ego Notarius Fabritius Paganus de Neap. in fidem in ea me subscripsi, signumque meum opposui consuetum meliori collatione semper salua, et ubi desiciunt partes, non apparent, ex quo pagina est rupta propter longinquitatem temporis etc. Locus signi etc.

Remissio Militaris seruitij pro Terra Morrae debiti Regiae Curiae Iacobo de Morra, eiusdem Terrae Domino, Anno 1362.

Ioanna Dei gratia Regina Hierusalem, et Sicilia, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae, Prouinciae, et Forcalquerij, ac Pedimontis Comitissa: Magnifico viro Magno Regni Siciliae Camerario, vel eius Locumtenentibus, immo Magistris Rationalibus Magnae nostrae Curiae, ac Thesaurarijs nostris, Iustitiarijs quoque Principatus Ultra Serras Montorij, ac quibuscumq; alijs Commissarijs deputatis, et deputandis per Curiam nostram super recollectionibus, et perceptionibus seruitiorum feudalium ipsi nostrae curiae debitorum, ac debendorum, presentibus et futuris fidelibus nostris gratiam et bonam voluntatem: Iacobus de Morra fidelis noster Maestati nostrae humiliter supplicauit, ut dum ipse habeat Terram Morrae, quam sub certo feudali seruitio seu adoba immediate, et in capite a curia nostra tenet, pro qua a certo praeterito tempore, propter subsequutam, ex praeteritae guerre fremitibus, destructionem, illius feudale seruitium ipsi curiae debitum, non praestitit, prout rationabiliter tenebatur, providere ei super remissione medietatis dicti seruitij, per eum nostrae Curiae pro praeterito tempore debite, benignius dignaremur. Licet igitur vigore generalis edicti facti

facti per nos, de remissione medietatis seruitiorum militarium per Comites & Barones dicti Regni, nostræ Curie pro preterito tempore debitorum, usque per totum annum quartæ decimæ Indictionis nuper elapsæ, sit ei reliqua medietas seruitij præfati remissa: Nos tamen Considerantes impotentiam Iacobi supradicti, qui ad solutionem medietatis dicti seruitij, propter destructionem dictæ Terræ, et obligationem iurium & fructuum illius, factam Ioannæ de Beuania, pro satisfactione dotium suarum, inhabilis est effectus; suis in hac parte supplicationibus inclinatæ, eidem Iacobo præfatam reliquam medietatem dicti seruitij, per eum pro dicta Terra pro preterito tempore, a die videlicet, felicitis coronationis claræ memoriæ Domini Viri nostri, et nostræ, usq; & per totum præfatum annum quartæ decimæ indictionis, pro quo tempore est ei vigore dicti generalis edicti, reliqua medietas dicti seruitij, ut præfertur remissa: duximus de certa nostra scientia, harum serie benignius remittendam: volentes & fidelitati vestræ de dicta certa nostra scientia, presentium tenore districte iubentes, ut infra formam presentis nostræ remissionis, & gratiæ per vos diligenter actenta, illam eidem Iacobo, prout ad singulos vestrum spectauerit inuiolabiliter obseruetis, ac obseruari ab alijs tenaciter faciatis, ipsumq; Iacobum ad præstationem seu solutionem dictæ medietatis seruitij supradicti, cuius reliqua medietas, est ei dicti edicti nostri vigore ut præfertur remissa, realiter vel personaliter nullatenus compellatis, nec compelli, molestari, vel impeti contra præsentium seriem, quomodolibet permittatis, reuocantes ac reuocari facientes statim in irritum, quicquid esset per vos, seu vestrum alios in contrarium forsitan actentatū, aut continget de cetero actentari præfato edicto nostro si, et prout effectui presentium forsitan obsisteret, ac quibuscumq; alijs ordinationibus literis seu mandatis, huic forte contrarijs factis iam, vel in antea faciendis, sub quacumque forma vel expressione verborum non obstantibus quouomodo, præsentibus autem literas, post opportunam inspectionem earum, pro cautela restitui volumus præsentanti, præmissis modo efficaciter in antea valituras Datum Neapoli.

Pri-

**Priuilegium confirmationis Baroniarum Terrarum Sancti Seuerini,
& Casalium prope Camarotam, in personam Iacobi
filij Francisci anno 1427.**



*I*oanna Secunda Dei gratia Vngariae, Hierusalem, Siciliae, Dalmatiae, Croatiae, Romae, Seruiae, Galitiae, Lodomeriae, Pomeraniae, Bulgariaeque Regina, Prouinciae, Folcarquerij, ac Pedimontis Comitissa, Vniuersis, & singulis presentes literas inspecturis, tam presentibus, quam futuris; Licet adiectione plenitudo non egeat, nec firmitatem exigat; quod est praemium, confirmatur tamen interdum, quod robur obtinet, non quod necessitas id exposcat, sed ut confirmatis sincera benignitas clareat, & rei gestae cautela robur plenioris accedat: Sane pro parte Viri nobilis Iacobi de Morra familiaris, & fidelis nostri dilecti, fuit Maiestati nostrae reuerenter expositum, quod praedecessores ipsius exponentis, & successive exponens ipse pro se ipsis, et eorum haeredibus ab eo tempore cuius in contrarium memoria hominum non existit, habuerunt, tenuerunt, et possiderunt, & nunc similiter ipse exponens per se, vel alios suo nomine habet, tenet, & possidet iusto titulo, & bona fide, in feudum, & sub certo feudali seruitio seu adoha, ex inde debito, et consueto, Terram seu Castrum Sancti Seuerini prope Camerotam, cum castro, seu fortelitijs, casalibus, hominibus, vaxallis, vaxallorumque redditibus, feudis, feudatarijs, subfeudatarijs, redditibus censibus, seruitijs, domibus, possessionibus, vineis, oliuetis, iardenis, terris, cultis & incultis, montibus, planis, pratis, siluis, nemoribus, pascuis, venationibus, arboribus, molendinis, baptinderijs, aquis aquarumque decursibus, baiulatione, banco Iustitiae, & cognitione causarum ciuilium inter homines, et per homines terrae, seu castri praedicti, tenementis territorijs, alijsque iuribus iurisdictionibus, rationibus, actionibus, utiunque dominio, et pertinentijs omnibus et singulis, ad dictam terram seu castrum in integrum spectantibus, & pertinentibus quouis modo, & cum integro statu suo, ac ipse exponens pro se, et dictis suis haeredibus

X bus


bus fuit, & est pro se, & alijs suo nomine, in possessione seu quasi dictæ terræ, cum Castro seu fortellitjs hominibus vaxallis iuribus rationibus, & pertinentijs omnibus suis prædictis, percipiendo ex inde, seu percipi faciendo iura fructus, redditus, & proventus peruenientes, et peruenientia ex dicta terra. Propter quod pro ipsius Iacobi parte, fuit Maiestati nostræ supplicatum attentius ut sibi pro se, & dictis suis heredibus, iam dictam terram seu castrum Sancti Seuerini prope Camarotam cum Castro; seu fortellitjs casalibus hominibus vaxallis feudis feudatarijs vaxallorumque redditibus, rendentibus alijsq; iuribus, iurisdictionibus, rationibus, actionibus, & pertinentijs omnibus, & singulis suis prædictis, confirmare, benignius dignaremur; Nos autem huiusmodi supplicationi pro ipsius Iacobi exponentis parte culmini nostro porrectæ annuentes ut iuste, & alias attendentes ipsius Iacobi merita deuotionis, & fidei, per eum erga Maiestatem nostram ostense, grataq; utilia, fructuosa, et accepta seruitia, per eum nobis hætenus præstita, & impensa, et quæ præstare poterit de bono in melius laudabilius in futurum, ex quibus ne dum eorum quæ iuste, & rationabiliter tenet, & possidet, confirmationem obtinere à nobis, sed ulteriores gratias promeretur, iam dicto Iacobo, & prædictis suis heredibus prædictam terram, seu Castrum Sancti Seuerini prope Camarotam cum Castro seu fortellitjs, et casalibus hominibus vaxallis vaxallorumque redditibus, rendentibus feudi, feudatarijs subfeudatarijs censibus seruitijs domibus possessionibus vineis oliuetis iardenis terris cultis, & in cultis, montibus, planis, pratis, siluis, nemoribus, pascuis, arboribus, venationibus, molendinis, baptinderijs, aquis, aquarumque decursibus, baiulatione, banco iustitiæ, & cognitione causarum ciuilium inter homines, & per homines terræ Castri prædicti; tenimentis, terris, alijsq; iuribus iurisdictionibus rationibus actionibus utilique dominio, & pertinentijs omnibus, & singulis suis prædictis, & ad illam in integrum spectantibus, & pertinentibus quouis modo, eis quidem modo, & forma quibus præcessores dicti Iacobi, et post eorum obitum Iacobus ipse, præfatam Sancti Seuerini prope Camarotam terram, cum iuribus rationibus,

nibus, & pertinentijs omnibus suis prædictis, huc usque tenuerunt, & possiderunt, ipseque Iacobus supplicans ad præsens tenet, et possidet, ac si, & prout in illius possessione, seu quasi, ad præsens existit, iuxta tenorem literarum priuilegiorum, aut cautelarum quas, & quæ ex inde, obtinuerunt, & obtinent, ipsasque literas, & priuilegia, & cautelas si, & prout inuenientur in eis, quarum, et quorum tenores, presentibus ex nostræ potestatis plenitudine, haberi volumus, atque decernimus pro sufficienter expressis, licet pro se valide, & valide existant; si inuenientur ut supra, et quãquam non inueniantur ad præsens, in robur plenioris cautelæ quæ prodesse, & non officere consuevit, de certa nostra scientia tenore præsentium confirmamus, ratificamus, acceptamus, ac etiam approbamus, nostræque confirmationis, ratificationis, acceptationis, approbationis potestatisque, & auctoritatis præsidio communimus, dictamque terram, seu Castrum Sancti Seuerini prope Camerotam, cum iuribus, rationibus, et pertinentijs suis omnibus prædistinctis per dictum Iacobum, ac prædictos suos heredes legitimos, ex nunc in antea, & in perpetuum, per auctoritatem presentis nostræ confirmationis, quam ad hæc impendimus prædicto modo quo illam tenuerunt, & possiderunt, ac prout in possessione existit Iacobus prædictus ad præsens, teneri volumus, & taliter possideri: Nec non quascunque concessiones, & terras prædictis præcessoribus dicti supplicantis factas si quæ inuenientur, firmas, stabiles, fructuosas, et reales esse volumus omni futuro tempore, iuxta illarum tenores, & series, ac decernimus volumus, et iubemus illas prædicto Jacobo, supplicanti, & heredibus suis prædictis, per quoscunque nostros officiales, & alios ad quos spectat, & spectabit, præsentis scilicet, et successive futuros, teneantur ea inuiolabiliter obseruari, & successive fidelitate nostra, feudali quoque seruitio, seu adoba pro dicta terra Sancti Seuerini prope Camerotam, ex inde Curie nostræ debito, alijsque nostris, et cuiuslibet alterius iuribus semper saluis, in cuius rei testimonium præsentis literas ex inde fieri, & magno pendenti Maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri; Quas pro earum validiori robore, et ex certis, etiam nos causis mouentibus, subscripsimus,

& de-

*et dedi mus propria manu nostra, ritu, et ordinatione, et obser-
uatione nostrae Curiae, ac alijs quibuscunque contrarijs nulla-
tenus obstituris. Datum in Castro nostro Aversa per manus
nostri praedicti veri anno Domini Millesimo cccc
xxvij. die 3. mensis Septembris, sextae Indictionis Regnorum
nostrorum anno 14. de mandato R. Angelillus Registrata in
Canc. Clemens Iub. de Aversa. etc.*

**Priuilegium concessionis annuorum ducatorum centum, su-
per functionibus fiscalibus Baroniae Sancti Seuerini ad
vitam Iacobo de Morra anno 1428.**



*I*oanna Secunda Dei gratia Hungariae, Hie-
rusalem, Siciliae, Dalmatiae, Croatiae, Romae,
Seruiae, Lodomeriae, Pomeraniae Bulgariaeque; Re-
gina, Prouintiae, et Forcalquerij, ac Pedimon-
tis Comitissa. Vniuersis, et singulis praesentes
litteras inspecturis, tam praesentibus, quam futuris. Benemeritis
Principem prouidere fidelibus, et si gratiae plenitudo suadeat,
obsequiorum quodammodo gratitudo compellit: Sane attendentes
merita sincerae deuotionis, et fidei, magnifici viri Iacobi de
Morra Militis Neapolitani de Sedile Capuanæ utilis domi-
ni terrae Sancti Seuerini de Camarota de Prouintia Princi-
patus citra, Consiliarij, et fidelis nobis sincere dilecti, grataque
utilia fructuosa, et accepta seruitia per eum Maiestati nostrae
fideliter, et laudabiliter praestita, quaeue ad praesens praestat, et
speramus ipsum In posterum de bono semper in melius continua-
tione laudabili praestiturum, ex quibus ipsum speciali nostra gra-
tia dignum, et benemeritum reputamus; Eidem Iacobo proui-
sionem annuam ducatorum centum de carlenis argenti, ponde-
ris generalis percipiendam per eum annis singulis, sua vita du-
rante à die prima mensis Ianuarij futuri anni, septimae Indi-
ctionis in antea numerando, in, et super pecuniam collectarum,
et fiscalium functionum ordinariarum, siue extra ordinaria-
rum praedictae terrae Sancti Seuerini de Camarota de praedicta
prouintia Principatus citra, damus, donamus, tradimus, et

ex

ex causa donationis, proprii nostri motus instinctu, tenore presentium concedimus, de certa nostra scientia liberalitate mera, et gratia speciali, volentes declarantes, et iubentes earundem presentium serie, et expresse, motuque proprio, et potestate dominica, quod presens nostra gratia, per nos dicto Iacobo facta in quibuscunq; generalibus edictis factis per nostram Curiam, de suspensione, seu reuocatione gratiarum, et prouisionum, seu faciendis in posterum, nullatenus includatur, sed ab illis excludatur, et excludi debeat in omni casu, et necessitate specialiter, et signanter; Ita quidem quod dictus Iacobus iam dictam prouisionem annuam ducatorum centum, sua vita durante, immediate, et in capite a nobis, et nostra curia teneat, et possideat, nec ullum aliud prater nos, ac heredes nostros, et successores in regno Siciliae superiorem, et dominum ex inde recognoscat; Inuestientes proinde dictum Iacobum de presenti nostra prouisione, concessione, et gratia per nostrum anulum presentialiter ut est moris, quam inuestituram, vim, et vigorem vere donationis, et realis perceptionis dictae prouisionis annuae, volumus, et decernimus obtinere; in cuius rei testimonium presentes literas ex inde fieri, et magno pendentis sigillo Maiestatis nostra iussimus communiri. Quod pro eius validiori robore, et ex certis causis etiam nos mouentibus, dedimus, et subscripsimus, propria manu nostra, ritu, et obseruantia nostrae curiae, quacumq; contraria non obstante, actum in castro nostro Auerse per manus nostrae praedictae Ioannae Reginae, Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo octauo, die quarto mensis Nouembris, septima Indictionis, Regnorum nostrorum, Anno quinto decimo, de mandato reginali Angelillus Registrata in Cancellaria, Clemens Lut. de Auerfa etc.

Extracta est presens copia a suo originali Priuilegio omnibus supradictis sollempnitatibus roborato in pergameno scripto cum regiopendenti sigillo cere rubee, et quia facta per me collatione concordat cum originali; Ideo in ea me subscripsi; Ego notarius Fabritius Paganus de Neap. signumq; meum apposui consuetum, meliori collatione semper salua etc. Locus signi etc.

Y Priui-

Priuilegium concessionis annuorum ducatorum centum in
perpetuum facta per Regem Alfonsum Primum, super
fiscalibus Baronie Sancti Seuerini Iacobo de
Morra, & eius hæc. 1440.



Alfonsus Dei gratia Rex Aragonum Sicilia ci-
tra, & ultra Farum, Valentia, Hierusalem,
Hungaria, Maioricarum, Sardinia, & Cor-
fica Comes Barchinone Dux Athenarum, &
Neopatria, ac etiam Comes Rossilionis, et Ce-
ritania; Vniuersis, & singulis presentes literas inspecturis,
tam presentibus, quam futuris, Benemeritis principem prou-
dere fidelibus, & si gratia plenitudo suadeat, obsequiorum quo-
dammodo gratitudo compellit, Sane attendentes merita sincera de-
uotionis, & fidei magnifici viri Iacobi de Morra, uilis do-
mini terre Sancti Seuerini de Camarota, de prouintia prin-
cipatus citra, Consiliarij, et fidelis nobis sincere dilecti, gratiaq;
utilia fructuosa, et accepta seruitia per eum Maiestati nostrae,
fideliter, et laudabiliter prestita, quaeque prestat, & speramus
ipsum in posterum de bono semper in melius continuatione lau-
dabili prestiturum, ex quibus ipsum speciali nostra gratia di-
gnum, & benemeritum reputamus, eidem Iacobo, et suis utriusq;
sexus heredibus, ex suo corpore legitime descendentibus, natis
iam, & in antea nascituris in perpetuum in feudum, annuam
prouisionem ducatorum centum de carlenis argenti, ponderis
generalis, percipiendam per eum, & dictos suos heredes, annis
singulis à die presenti in antea numerando in, & super pecu-
niam collectarum, et fiscalium functionum ordinariarum, siue
extraordinariarum, praedicta terre Sancti Seuerini de Cam-
marota de praedicta prouintia principatus citra, damus dona-
mus tradimus, et ex causa donationis proprii nostri motus in-
finitum, tenore presentium concedimus, de certa nostra scientia,
liberalitate mera, et gratia speciali, volentes declarantes,
& iubentes eorundem presentium seria, et expresse motuq; pro-
prio, & potestate dominica, quod praesens nostra gratia, per nos
dicto Iacobo, et praefatis suis heredibus facta, in quibuscumque
gene-

generalibus edictis, factis per nostram Curiam de suspensione, seu reuocatione gratiarum, et prouisionum, seu faciendis in posterum, nullatenus includatur, sed ab illis excludatur, et excludi debeat in omni casu, et necessitate specialiter, et signanter, ita quidem, quod dictus Iacobus, et predicti heredes sui, iam dictam prouisionem annuam ducatorum centum immediate, et in capite à nobis, et à nostra Curia perpetuo teneant, et possideant, nec ullum alium preter nos, ac heredes, et successores nostros in regno nostro Sicilia, superiorem, et dominum ex inde recognoscant, seruireque propterea teneantur, et debeant, nobis, et dictis heredibus, et successoribus nostris, de feudali seruitio ex inde contingenti, et debito, iuxta usum, et consuetudinem dictæ nostræ curiæ in talibus habitos, et seruatos; Quod seruitium dictus Iacobus pro se, et heredibus suis predictis, in nostri presentia constitutus, prestare, et facere nobis, ac dictis heredibus, successoribus nostris, suis vicibus sponte obtulit, et promisit, inuestientes pro inde dictum Iacobum pro se, et dictis suis heredibus, de presenti nostra prouisione, concessione, et gratia, per nostrum anulum, presentialiter ut est moris; Quam inuestituram vim, et vigorem veræ donationis, et realis perceptionis dictæ prouisionis annuæ, volumus, et decernimus obtinere, in cuius rei testimonium presentes literas ex inde fieri, et magno pendenti nostro sigillo iussimus communiri. Datum nostris felicibus Castris contra Candidam, die vigesimo mensis Iunij tercie Indictionis, anno Domini Millesimo quadringentesimo, regni huius Siciliae citra Farum anno sexto, aliorum nostrorum Regnorum Anno vigesimo quinto etc.

REX ALFONSVS.

Dominus Rex mandauit mihi Georgio Tathala, Registrata in Cancellaria penes Cancellarium etc.

Me-

Memoria Quorundam de familia, ex per vetusto Archiuio Sanctissimæ Trinitatis ad Cauam.



GO Don Basilius à Neapoli Monachus, & Archiuarius sacri Monasterij Sanctissimæ Trinitatis Cauensis, fidem facio qualiter infrascriptorum Virorum Nobilium de familia de Morra memoriam inuenio ex authenticis scripturis; quæ apud me in dicti sacri Monasterij Archiuio asseruantur v3.

Dñi Rugerij de Murra alias de Morra anno Dñi 1174.

Dñi Fizzelini de Morra, & Dña Guisande uxoris dicti Fizzelini } anno Domini 1185.

Dñi Riccardi & Dñi Anfelerij } de Candela alias Candela Dñi Cognomento de Morra filij dictorum Fizzelini, & Guisande annis 1223. & 1227.

Domini Enrici de Morra Magistri Iustitiarj Magnæ Imperialis Curie anno 1232.

Et in premissorum fidem hic me subscripsi, & sigillum solitum apposui. Datum in Sacro Monasterio Cauensi die 18. Aprelis 1617.

Don Basilius à Neap. qui supra. Locus sigilli.

Supradictam fidem scriptam, & subscriptam fuisse propria manu prædicti Reuerendi P. D. Basilij à Neapoli Archiuarij dicti Sacri Monasterij Cauensis, & sigillatam solito sigillo eiusdem Sacri Monasterij in mei presentia, fateor ego Notarius Joannes Ferdinandus Costa de Ciuitate Cauæ, et in fidem hanc feci, & meo solito signo requisitus signaui. Locus signi.



N *N*omine Dei *Æ*terni, & *S*aluatoris nostri *J*esu *C*hristi. Anno *I*ncarnationis eiusdem millesimo centesimo octogesimo quinto, regnante feliciter inuictissimo Domino nostro *G*uilielmo Rege *S*iciliæ, *D*ucatus *A*puliæ, & *P*rincipatus *C*apue, mense *I*anuario, *I*ndictionis tertiæ, in *C*astello *C*andele. *C*um *N*os *R*iccardus, et *A*nselerius olim filij *E*zzelini de *M*urra unà cum *G*enitrice nostra *G*uisanda, cælitus septiformis gratiæ illustratione inspirati, scriptura sacra dicente. *S*piritus ubi vult spirat, & *A*postolus dicit. *O*mne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est; diuina quoque opitulatione suffulti, atque muniti, obnoxios secretorum præcordijs opinantes, ac sagacissimè reminiscentes, qualiter huius seculi periclitantis vita, atrocissimè illecebrosos, multisq; modis, & seculares decipit, suadendo malè perire facit; prout diuina refert scriptura. *O* vita atrocissima, quæ tantos allicis, tantosq; iugiter ad necis lacum deducis; *N*am alijs te longam ostentas, ut perdas in fine; alijs breuem, ut dum de malefactis penitere voluerint, non permittas; alijs latam, ut quod volunt, faciant; alijs angustam ut non benefaciant. *M*isera es, & mortalis, & non diuturnè mansura, velut *A*postolus ait. *T*empus hoc breue, & reliquum est, ut qui gaudent, tanquam non gaudentes; et beatus *J*oannes. *N*olite *M*undum diligere, neq; ea, quæ in *M*undo sunt; siquis enim diligit *M*undū, charitas *D*eï non est in eo. *S*ed quoniam istius labentis seculi opulentiæ, honores, atq; potentiæ, celeriter desunt, et quicquid in *M*undo est, diu durare non valet, sed exiguo labitur in tempore, ceu quidam sapiens dixit. *F*ugit omne, quod tenemus, neq; fluxa habent refluxum. *H*IS itaque, ac principalibus alijs sacri eloquij assertionibus freti, *D*eo qua propter offerre, ac sacre eius *B*asilicæ *S*. *M*ariæ de *I*uncarica, religiosissimi *C*ænobij *C*auæ venerabili *D*iocesi, quandã *T*erram, quam habemus in *T*erritorio prædictæ *C*andele, iuxtã fluuium *C*alabij, ubi vocabulum est *h*ysca *D*ominæ *G*uisandæ, sub iure hereditario congruum est, et traddere, &

Z

ipsa

ipsa prefata Basilica libera concessione, nihilominus stabili
 institutione, nostri ex parte, nostrorumq; successorum omni re-
 mota infestatione, & pulsatione deinceps possideat. Sed notan-
 dum est à nobis propterea ad hoc Gairenthix predictæ Ecclesiæ
 fore concessum, quatenus omnium bonorum Deus remunera-
 tor, nostrorum remissione omnium delictorum, nostrorumq; pa-
 rentum, et salutem Animarum, atq; remedium conferat, quin
 etiam, & ad vitam perducatur æternam. Itaq; ad prefatam
 Ecclesiam unanimes proficiscentes in presentia Dñi Maraldi
 Iudicis Terrarum strenui Dñi Riccardi de Balbano, & ciui-
 tatis Asculi, aliorumq; bonorum hominum subscriptorum te-
 stium, ipso iubente, & ordinante Iudice per manutentum vir-
 gæ; Nos prænominati fratres Riccardus, et Anselmerius, cum
 Matre nostra predicta Guisanda prænnotatam Terram, velu-
 ti de fine in finem subcontinetur, obtulimus, in proprias manus
 Dñi Pandulfi eiusdem Ecclesiæ Prioris venerabilis, suorumq;
 Aduocatorum Roberti de Laurencio, & Vrsonis furelli, tali
 ordine, et ea ratione concedendo tradidimus, quo eiusdem ad
 honorem Ecclesiæ, & ipsius incrementum; ab omnibus homini-
 bus, omnibusq; partibus sibi resistentibus, prout posse, aut totis
 nisibus omni tempore resistamus amodo, et defendamus; quod si
 facere noluerimus, obligamus nos, nostrosq; heredes sub penæ
 nomine componere uncias auri sex, medietatem predictæ Ec-
 clesiæ sacro Altari, aliamq; medietatem regali Curie, causa
 tamen manente, Ecclesiæ oblatione inuiolata; per guadium, et
 fideiussores, quos inde posuimus Rogerium de Archipresbitero,
 et Rogerium filium quond. Dominici de Candela, qui se, suosq;
 heredes obligauerunt licitis, illicitisq; pignorandum pignoribus,
 et nos illis cum nostris succedentibus, quoad vsq; predicta omnia
 Sanctæ Matri Ecclesiæ adimpleantur, Insuper donec hoc satisf-
 factum non fuerit Ecclesiæ, & emendatum, parem penam cum
 eisdem resistentibus, secundum Canonum iudicium, sentiamus.
 Pro hac utiq; obligatione nostra firmiter statuenda, et ne ultra
 Launegilt ex nostri parte, seu nostrorum aliquo tempore exiga-
 tur, pro benedictione charitatis vinculo correcti, pullum unum
 equinum videlicet inde recepimus, quem non tantum causa cu-
 pidi-

piditatis, quantum pro Dei charitate adiurati recepisse fate-
 mur; quoniam secundum legem Luitprandi *q* in Ecclesiis Dei,
 & Zenodochijs thingatum fuerit, launegilt exigi nullatenus de-
 bet, eo quod pro Anima sua factum sit. Est autem ipsa Terra,
 unde mentio facta est, his circumdata finibus. Primus finis est
 petra vadi Sanctæ Agathensis incipiens à strata publica, quæ
 vadit per riuulum, qui est inter ipsam Terram, & aliam Ter-
 ram, quæ erat ipsius Ecclesiæ, reuoluendo huc, atq; illuc, inde
 passus extensi sunt centum septuaginta, et octo. Secundus finis
 est descendendo per ipsam Terram, & terram eiusdem Ecclesiæ
 in quo producuntur passus centum undecim. Tertius finis est
 Cervicalis, qui est inter ipsam Terram Ecclesiæ, ascendendo
 per prædictam hyscham, & deinde reuoluendo per ipsum Cerui-
 calem, et extenditur vsq; in flumen Calabij, ubi dicitur fons a-
 na Dñæ Guisandæ, sicut superius memoratum est; indeq; passus
 sunt numerati trecenti vigintiquinque. Quartus finis est per
 prædictum fluuium ascendendo Calabij vsq; in finem priorem,
 in quo passus inuenti sunt ducenti septuaginta septem. Inter
 has vero mensuras, & fines nec nobis, nec alicui portionem,
 aliquam reseruauimus, sed totum, & integrum, veluti prædi-
 ctum est, libera concessione a modo possidendum Ecclesiæ præpha-
 tæ reliquimus. Passus autem, cum quo eadem Terra men-
 surata est, tantæ longitudinis constat, quantæ latitudinis sunt
 Lanuæ maiores Episcopij laquedoniæ. Vnde te Guilielmæ No-
 tari prædictæ ciuitatis laquedonensis pro hac nostra oblatione
 omni tempore in prænominata Ecclesia firmissimè constanda,
 huius institutionis instrumentū ascribere rogauimus. Ego equi-
 dem Guilielmus Notarius Laquedoniæ hoc breue scripsi, & in-
 terfui feliciter. Locus signi. * Testis in hoc firmus Iudex con-
 sisto Maraldus. Locus signi * Signū Crucis ppriæ manus Ro-
 gerij forterami. * Signū Crucis propriæ manus Guilielmi filij
 olim Roberti de Brachalao. * Signū Crucis ppriæ manus Gual-
 terij filij q^m Gregorij. * Signū Crucis propriæ manus Arnaldi
 cognati Episcopi Laquedon. * Signum Crucis propriæ manus
 Melfij de casali. * Signum Crucis manus propriæ Simeonis de
 Lauello. * Signum Crucis propriæ manus Vrsilei de Casali.
 * Signum Crucis manus propriæ Vrsonis bonæ Mariæ.



D intelligentiam tamen illius clausule in retrospectiva donatione appositæ v3. Quoniam secundum legem Ruytprandi, quod in Ecclesijs Dei, et Zenodochijs tyngatum fuerit, ab eo launegilt exigi nullatenus debet eo quod pro anima factū sit. Et insuper ut nihil pietatem donantium obumbrare videatur, q̄ pullum æquinum ab eadem Ecclesia veluti in excambiū & retributionem receperint, quod, & in donatione Gaufridi de anno 1200. supra relata similiter actum videtur, non abs re opere prærium censui breuiter pro dilucidatione subnectere, q̄ Luitprandus prædictus fuit ex Regibus Longobardis, qui Reges Italiae dicebantur, regnavit circa annos Dñi 712. Rex siquidem summe Catholicus, plures edidit leges in Longobardarū volumine redactas, interque eas, illam edidit, de qua in antedicta donatione fit mentio, situatam in l. fin. de donat. in Longobard. ad limitationem præcedentium, quibus disponebatur donationes simplices rerum particularium absq; tingatione, (quæ uniuersales donationes constituebat, in quibus launegilt non requirebatur pro firmitate, quia donatarius talis, loco hæredis habebatur, et tenebatur ad onera, et proinde ad aliam retributionē nō astringebatur) absq; lanchild, seu launegilt (hoc est antidoralis quedā retributio, donationis merito respondens esse) ad nutum reuocabiles, eas non habere locum in donationibus, quæ fiunt Ecclesijs, & Zenodochijs absq; tingatione, hoc est, etiam q̄ sit particularis donatio, non uniuersalis quæ absq; launegilt substinebatur ex iuribus prædictis, eas tamen absq; launegilt, id est congrua retributione omnimodam obtinere firmitatem sanxit, quia pro anima factas esse videntur? cumque in præsentī fratres prædicti donantes, & in alia, ut supra Gaufridi, videantur recepisse pullum, fuit non tam retributionis causa, quam benedictionis, et deuotionis gratia, & ut saltim mos ab alijs iuxta primenas leges seruatus, ut donatori aliquid tribuatur, quamuis Ecclesie ab ista retributione, per legem Luitprandi exemptæ fuissent, quoddam tamen signum gratæ retributionis consuebant donantibus demonstrare.

**Rescriptum Caroli Primi ad instantiam Rugerij de Morra, ne sui
subfeudatarij molestentur a Regijs collectoribus, pro
adoha: in Reg^o. eiusdem Reg. Caroli Primi
signato 1268. O fol. 62.**

Vigesimo quinto Maij apud Neap. scriptum, est
Iustituario Principatus, &c. Exposuit nobis Ro-
gerius de Morra Miles deuotus noster, q̄ cum
Robertus de Monogerano Miles teneat in
feudum ab eo, Casale Monogerani, & pro ser-
uitio debito sibi pro Casali prædicto, tam idem Robertus, quam
antecessores sui, eidem Rogerio, & anteessoribus suis à tempore
Catholicorum Regum Siciliae, & etiam toto tempore quondam
Frederici Romanorum Imperatoris, & usq; ad hæc felicia tem-
pora Dominationis nostræ, videlicet ad annum præteritæ tertiæ
Indit. ad obamentum in pecuniam consueuerint exhibere, et idē
Robertus, præstitit Sacramentum assurationis dicto Roge-
rio sicut dicit, nunc Iudex Gulielmus de Gragnano Commissa-
rius vester, compellit eundem Robertum pro parte curiæ ad sol-
uendum sibi ad obamentum pro Casale prædicto, ac si ipsum ca-
sale à curia Regia in capite, & immediate teneret, in eiusdem Ro-
gerij præiudicium & iacturam, super quo cum sibi per nos sup-
plicauerit prouideri, ipsius supplicationibus iustis, ut potè deuo-
tioni vestræ, &c. Quatenus si præmissa veritate nituntur, &
prædictus Rogerius præstitit vobis pro parte Regiæ curiæ ad ob-
amentum, tam pro seruitio Terræ suæ, quam tenet, quam pro
seruitio Terræ, quam ab eo in feudum tenet pro dictus Rober-
tus, & etiam pro Terra alia, quam tenent alij subfeudatarij
sui, si quos alios subfeudatarios habet, prædictum ad obamentum
à prædicto Roberto subfeudatario suo, pro prædicto Casali Mo-
nogerani non exigatis, nec exigi faciatis, sed si exigistis, vel exi-
gi fecistis, ipsum eidem restituere debeatis, ut iustam super his
non habeat materiam conquerendi, cum iniustum esset, si præ-
dictus subfeudatarius suus, ad binam præstationem dicti ad ob-
amenti Curie v3. Regiæ, & dicto Rogerio cogeretur.

Aa

Ro-

Rogero de Morra sicut, & alij hic nominatis mandatur de-
scriptio militum in prouincijs facienda.



Criptum est Thomasio de Marzano Regni Siciliae Marefcallo Consiliario, & Gulielmo de Ebulo Regio Marefcallo & Magistro Militibus familiaribus, et fidelis suis, &c. Scripsimus vobis de proximo, & spetiales literas subnexae continentiae post salutem. Sic de Siciliae Regni nostri fidelibus, est nobis certa fiducia, ut de ipsis, tanquam electis, & approbatis in fide, ac deuotionis obsecutione sinceris, & diuturna experientia confidamus, per quod domestica deliberatione prouidimus, viros probos, electos, & strenuos de ipso Regno trahentes originem, pro ipsius defensione, cum expedit, & alijs incumbentibus nobis negotijs, in obsequijs nostris habere cōtinuos, ut nobis ex ipsis securitatis auxilia sperata perueniant, et eis ex beneficio nostro domestica familiaritas, et premia fructuosa contingāt. Quocirca fidelitati vestrae p̄tium auctoritate mandamus, quatenus intra claustra pectoris sollicita meditatione pensantes, et librantes actentē conditionem, & statum hominum Regionis Terrae laboris, & Comitatus Molisij, omnes viros probos electos, & approbatos in armis, nec non aptos ad illa, in unius quaterni serie describentes, tam feudatarios, quam nec Feuda tenentes, ipsorum nomina, & cognomina, conditionem, & statum Excellentiae nostrae nominaliter, et particulariter describatis, sic quod ipsis postmodum electis ad nostra seruitia, ut illa oportune aggredi valeant de subsidio congruo, prout decernemus expediens, nostra prouideat celsitudo. Datum Neap. per Bartholomeum de Capua militem logothetam, & Prothonotarium Regni Siciliae anno Domini millesimo trecentesimo decimo primo, die decimo octauo Ianuarij nonae indictionis Regnorum nostrorum anno secundo. Verum cum circa literarum ipsarum seriem, vobis anfractus, cuiusdam dubitationis emergat. declaramus tenore p̄tium, quod intentionis est nostrae, ut ipsa gens eligenda per vos sit centenarij, et quinquagenarij numeri, et equestris illius conditionis, & status, qui in dictis

prio-

prioribus literis declarantur, et ut ipsi centum, & quinquaginta numero, eligendi per vos ad nostra seruitia, cum tempus, & locus affuerit, habiles se inueniant, et paratos pro parte nostra producat is eisdem, quod quolibet ipsorum centum quinquaginta numero, postquam per Curiam nostram fuerint approbati, et habebit illa vice quinque uncias à curia nostra prefata pro adiumento, seu subsidio, & sex uncias auri anno quolibet etiam in suo domo permanens, et si equum & arma perdidit naturali morte, vel alio casu fortuito, de medietate ipsius equi fiet sibi emenda per dictam curiam, et de reliqua medietate per societatem centenarij, & quinquagenarij numeri supraddicti, cum vero centum quinquaginta numero predicti, vel aliqui ex eisdem erunt in ipsis nostris seruitijs, habebunt integra gagia exhibenda per eandem curiam consueta, et emendam equorum secundum estimationem rationabilem integraliter recipient, à curia memorata. Datum Neap. per eundem Bartholomeum de Capua Militem, &c. Anno Dñi 1311. die 22. Februarij nonæ ind. Regnorum nostrorum anno secundo.

Eodem die ibidem similes factæ sunt Henrico de Sancto Seuerino familiari. Rogerio de Sancto Vincentio, & Rogerio de Morra Militibus fidelibus suis in Regionem Principatus, et Basilicatæ de centenario numero.

In Registro Regis Roberti signato 1311. litera O
fol. 70. a ter.

Rogerus de Morra Capitaneus ad Guerram, & ad Iu-
stitiam in Ciuitate Seminarie Anno 1315.



Robertus ꝑc. Rogerio de Morra Militi familia-
ri, et fidei suo ꝑc. Cum certa causa necessaria
suadente, te de cuius sufficientia, ꝑ legalitate cõ-
fidimus Capitaneum Terræ Seminarie provide-
rimus statuendum. Volentes q̄ pro ipsius Terræ
custodia, tecum ibi retineas equites decem de quibus inueniendis,
ꝑ eligendis alias tibi scripsimus sicut nosti, ꝑ pedites sexaginta,
fidelitati tuæ mandamus expresse, quatenus statim omni
mora postposita, cum ipsis equitibus decem, armis, ꝑ equis de-
center munitis, ad nostram curiam debeas te conferre, hic enim
dabuntur tibi prædicti seruiantes pedites, ac pecunia pro tuis
ꝑ dictæ gentis gagijs oportuna. Datũ Neap. Anno Domini
1315. die ultimo Nouembris, decimæ quartæ indict. Regno-
rum nostrorum anno septimo.

*In Reg. Regis Roberti signato 1315. litera B.
fol. 117. a ter.*

Transactio per Carolum III. Regni Vicarium cum Goffrido
de Morra super restitutione status (quæ fuit abrogata, &
annullata vt supra per Robertum Patrem) in Regi-
stro eiusdem Caroli anno 1320. litera C f. 61.



*Carolus, &c. Vniuersis pñtis scripti seriem in-
specturis tam presentibus, quam futuris, etc.
Sanè Thomafello de Morra (filio quondam
Francisci de Morra, primogeniti olim Do-
mini Rogerij de Morra) viam nuper vniuer-
se carnis ingresso, Goffridus de Morra secūdogenitus Domini
Rogerij memorati. Castrum Morra, situm in Iustitiariatu
Principatus ultra Serras Montorij, et Castrum Rocca de
Gloriosa, & Caselle, sita in Iustitiariatu Principatus citra
Serras easdem, ad se asserebat legitime pertinere, eo quod ca-
stra ipsa fuerunt Domini Rogerij supradicti patris ipsius, quo
viuente idem Franciscus primogenitus, rebus fuit humanis
abductus, per quod ipse Goffridus filius, tanquam natu prior,
et succedendi iure proximior Domino Rogerio sepefato, dictum
Thomafellum nepotem, ex eodem Francisco genitum, præcessit
in ordine succedendi, allegans alias rationes, & causas per
quas in successione dictorum Castrorum dicebat se rationabi-
liter prelatum, aduocatis vero, & procuratoribus Fisci Regij
allegantibus, in castris ipsis, regalem curiam ius habere, &
ipsum Goffridum sicut patruum, Thomafello prædicto nepoti,
non debere succedere, et obtento ritu Regiæ curiæ, nec in an-
tedictis Castris, eidem Goffrido ius competere, secundum for-
mam regie constitutionis auitæ, fuerunt de mandato nostro in
manu curiæ sequestrata, quibus sic præcedentibus cum ad no-
stram peruenit notitiam, prædictis patronis, et procuratoribus
iniunximus, vt tractatum audirent, transactionis, & concor-
diæ, cuius series fuit, quod præfatus Goffridus det, & assignet
dictum Castrum Morra, cum iuribus, & pertinentijs suis
omnibus, præfate regali Curie, ac remittat eidem curiæ ius;
& actionem, quæ in eodem castro competunt, vel possunt com-
petere, et ipsa curia, ex causa transactionis, det & assignet præ-*

Bb fata

fat a castra Rocca Gloriosa, et Casella, cum iuribus, et perti-
nentijs eorundem, dicto Goffrido, et heredibus suis, et omnia
iura, quæ in eisdem castris competunt, vel possunt competere;
habito itaq; super istis consilio, humanum censuimus, et equi-
tati conforme, licet forsitan dissentiat rigor iuris: quod ea, quæ
deferuntur à genere, eis qui ab illo descendunt, illibatus con-
seruentur, eisdem Fiscis patronis, et procuratoribus, ac dicto
Goffrido pñtibus, præfata Castra Rocca de Gloriosa, quod de
novo feudo pro seruitio duorum militum, et dimidij, in Regi-
stris Regalibus annotatur, et Casella, quod de antiquo feudo
esse ponitur, et debere ipsis Regali curiæ dimidium seruitium
militare, dicto Goffrido, et suis heredibus, Vicariatus autori-
tate, qua fungimur, ex causa transactionis ipsius, concedimus
damus, et tradimus, et omne ius, et actionem quæ Regali
curiæ competunt in eisdem, in eos transferenda prouidimus,
tali quidem conditione subnexa, quam idem Goffridus præsen-
sentialiter acceptauerit, quod tam ipse, quam sui heredes, pro
dictis Castris Rocca de gloriosa, et Casella dare teneantur fi-
lijs dicti quond. Domini Rogerij fratribus suis, vitam, et mi-
litiã condacentem, nec non maritare sorores suas, ex eodem
genitore susceptas secundum paragium, quodq; ad restitutio-
nem dotium et dotalium, quæ debentur, tam Domine Goffre-
dine de Monticulo Matri eiusdem Goffridi, quam Rogasia
prænominati Francisci dicti Goffridi fratris relicte, remane-
ant obligati, quæ omnia dictus Goffridus se facturum promisit,
et Andreas de Conca publicus Notarius fuit ab eo pro par-
te, quorum interest stipulatus, ipseq; Goffridus pro se, et suis
heredibus nobis pro parte curiæ dedit præfatum Castrum
Morræ, ac omne ius, transtulit, atq; cessit. Ita quidem quod
dictus Goffridus, et heredes sui utriusq; sexus, ex suo corpore
legitime descendentes, nati, et in antea nascituri pro iam dicto
Castro Rocca Gloriosa de seruitio duorum militum, et dimidij,
et pro dicto Castro Casellæ de seruitio dimidij militis, exinde
debeant seruire, iuribus omnibus, quæ ipsi Regali Curie debentur
maioris Domini ratione, præfatis Militaribus seruitijs,
et alterius cuiuslibet semper saluis. In cuius rei testimonium,

et cau-

et cautelam presentes literas quadruplicatas exinde fieri, et
pendenti Vicariae sigillo, quo utimur, iussimus communiri.
Datum Neapoli per Dominum Bartholomeum de Capua
Logothetam, et Prothonotarium Regni Sicilia, Anno Domini
1321. die 15. Februarij, quart. e Ind. Regnorum dicti Domini
Patris nostri anno duodecimo.

Solutio Adhæ pro Terris Morrae Roccae Gloriosa, & Ca-
stellarum per Goffredum de Morra anno 1329. in
Registro Roberti signato G. fol, 106. à ter.

Die vigesimo Mensis Aprilis sexta indict. Neap.
receptæ sunt à Goffrido de Morra de uncijs
nonaginta octo tarenis tredecim granis duo-
bus et medio, contingentibus Curiam Regiam
pro simplo, et medietate alterius simpli ado-
bamenti, seu feudalis seruitij dicti anni sexta indict. ad quod
Regia Curia tenetur pro Castro Morrae, quod in Iustitiana-
tu Principatus ultra Serras Montorij sub seruitio militum
trium, Rocca de Gloriosa, quam sub seruitio militum duorum,
et medij, et Castro Castellarum, quod sub seruitio trium quar-
tarum partium unius militis, in Iustitiatu Principatus
citra Serras Montorij, dicitur tenere ab ipsa Curia in feudum
nouum, sicut asseruit in carlenis argenti unc. triginta.

Assensus super emptione bonorum feudalium facta per
Goffridum de Morra in Registro Reginae Ioannæ
Primæ signato 1345, & 1346. A fol. 15.

Ioanna Dei gratia Regina Ierusalem, et Si-
cilia Ducatus Apulia, et Principatus Ca-
puæ Prouintia, et Forcalquerij, ac Pedimon-
tis Comitissa. Vniuersis presentes literas inspe-
cturis, tam presentibus, quam futuris. Subie-
cturum nostrorum compendijs, ex affectu benignæ caritatis
accedimus, quo fit, ut ipsorum petitionibus gratiosis Assensum
facilem

facilem benignius præbeamus. Sanè Goffridus de Morra Miles fidelis noster Excellentie nostræ nuper exposuit, q̄ Franciscus de Arabico, dictus Cicchonus de Policastrò, tenens, & possidens, immediate, & in capite à nostrâ Curia, certa bona feudalia in Iustitiariatu Principatus, citra Serras Montorij in Terra Policastrì, & pertinentijs eius, de nouo feudo, sub seruitio dimidij militis, bona ipsa cum hominibus, vassallis, iuribus, & pertinentijs suis omnibus, sponte vendidit eidem Goffrido pro se, et suis heredibus in perpetuum, pro certo pretio conuento, & persoluto, assensu nostro, & beneplacito reseruato. Supplicauit itaq; Goffridus Excellentie nostræ, ut dictæ venditioni assentire dignaremur. Nos igitur eiusdem supplicationibus inclinatæ, venditioni prædictæ, non obstante q̄ super bonis feudalibus processerit, veris existentibus præ-narratis, assentimus de certa nostrâ scientia, ratificamus, & acceptamus, ac confirmationis nostræ præsidio comunimus, Volentes expresse, quod huiusmodi assensus, & confirmatio eidem Goffrido, & suis heredibus incōmutabiliter sint et reales, fidelitate nostrâ, feudali quoq; seruitio Curie debito, n̄ris alijs & cuiuslibet alterius iuribus semper saluis. In cuius rei testimonium p̄ntes literas exinde fieri, & pendenti Excellentie nostræ sigillo iussimus comuniri. Datum Neap. per Venerabilem Patrem Rogerium Barensem Archiepiscopum Logothetam, & Prothonotarium Regni Siciliae Anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo quinto die sexto Nouembris decimæ quartæ ind. Regnorum nostrorū anno tertio.

Concessio facta ab Enrico, Mag. Iustitiano Goffredoque filio
Ioanni de Trintenaria quorundam Vassallorum Casalis
Sale, in Cilento in anno 1223.



N nomine Domini Dei eterni, et Saluatoris
nostri Iesu Christi. Anno ab Incarnatione
eius millesimo ducentesimo vigesimo tertio, et
tertio anno Imperij Domini nostri Federici
Gloriosissimi Romanorum Imperijs semper
Augusti, Ierusalem, Siciliae Regis, et decimo
anno Regni Domini nostri Henrici Regis Siciliae, et Italiae eius
Reuerendissimi filij, mense Aprilis, undecime Inditionis. Nos
Philippus terra Corbellarum Iudex, et Joannes publicus Tren-
tenariae Notarius. Igitur consentientes inquam in suum No-
tarium scientes me suum Notarium non esse, et subscripti tes-
tes ad hoc specialiter vocati, et rogati presentis scripti, serie de-
claramus quod nobilis vir Dñus Henricus de Morra magna
Imperialis Curiae Magister Iustitarius, et Dominus Goffridus
filius suus Dñi Corbellarum, pro multis gratis, et acceptis ser-
uitijs, quae à Dño Ioanne de Trintinare se recepisse confessi sunt,
et sperant recipere in futurum, concesserunt, donauerunt, et
tradiderunt eidem Dño Ioanni quosdam homines Casalis Sale
cum vxoribus, liberis, et rebus eorum, videlicet. Magistrum Petrum
Angarium, et rendentem de victualibus rombas duas, de
vino salmam unam, et Natiuitate Dñi salutem de pane, et
spallam, si habuerit porcum, et in Pascha salutem de pane, et
gallinam unam, et tarenos quatuor, et operas viginti quatuor,
Bartolomeum Scaranum angarium, et rendentem sicut magi-
ster Petrus, Guglielmum de Cicino angarium, et rendentem si-
cut magister Petrus, Rogerium Scaranum angarium, et ren-
dentem sicut magister Petrus, et pro quodam feudo, quod tenet
tarenum unum, Guglielmum Camporese sicut magister Petrus, et
est angarius, Riccardum de Nicolao angarium, et rendentem
sicut magister Petrus, Petrum de Sala rendentem annuatim ta-
renos quindecim, et operas sex, spenadeum seruientem de viati-
cis, Joannem de Petro de Guglielmo, qui reddit duas partes ta-

*reni salni, Presbiterum Petrum secundum redditum, Petrum
 Camparese secundum redditum. Nicolaum de Filicco secundum
 redditum, Ioannem de Guilelmo seruientem de viaticis. Ioannē
 de Dionisio, qui reddit duas partes tarenī, Homodeum de Gui-
 lelmo qui seruit de viaticis. Nicolaum de Gimnato qui seruit
 de viaticis, Constantinum qui reddet tarenum unum, Petrum
 de Ioanne de Roberto cum fratribus tarenos duos, et pieczum,
 Guemerium, Petrum de Alferio, Alexandrum, et Ansalonem
 qui rendent tarenos duos et medium, salutē de pane, et spalla
 artinorum, Bartolomeum Camporese tarenos duos minus ter-
 tiam, et salutem de Pane, Petrum Ferrarium, et fratrem red-
 dentes tarenos duos, et medium, Dionisium, et fratrem reddentes
 tarenos duos, Nicolaum de Leo rendentem duas partes tare-
 ni, Vrsionem Scaranum, Ioannem Scaranum, Accursium, Ni-
 colaum Scaranum, qui reddunt tarenum unum, et medium, et
 salutem de pane, et spallam si habent porcum, Joannem Gab-
 batar. tarenos duos, et salutem de Pane, Constabilis tarenos
 tres, salutem de Pane, et spallam, Alexandrum SporcZellum
 tarenos duos, et salutem, Petrum de Stabil. tarenum unum, et
 salutem, Magistrum Hermandum tarenum unum, et salutē,
 Ioannem de Cofinio, et Robertus, et Guglielmus Saluaticus ni-
 hil reddunt cum honoribus, iustitijs, feudacijs, rationibus, et
 pertinentijs suis, cum pedagio, et cum quarterio, quae habere
 debet, et consuevit habere cum territorio, et tenimento Sancti
 Basilij, et predicti Dñs Henricus, et Dñs Goffridus de Mor-
 ra, et antecessores sui, eorum potestate, et dominio preseruarunt
 ea ratione, ut integra ipsa concessio, donatio, et traditio quali-
 ter supra legitur semper sit in potestate ipsius dñi Joannis here-
 dum eius, et ipse dñs Ioannes, et eius heredes licentiam habeant
 de eadem concessione, donatione, et traditione facere quod volue-
 rint, Sic et ita quod ipse dñs Ioannes, et eius heredes teneantur
 eisdem dñis Henrico, et Goffrido de Morra, et eius heredibus
 seruire quando regium seruitium, vel Imperiale seruitium eis-
 dem dño Henrico, et dño Goffrido, vel suis heredibus iniunctū
 fuerit per Dñum Regem uno mense cum armis militaribus,
 et duobus equis cum expensis tamen ferris, et clouis, et restitu-
 tione*

tione, seu redibitione armorum & equorum, quæ per eos Dñs
 Henricum, & Goffridum de Morra, et eius heredes eidem dño
 Joanni, & suis heredibus, sciat dictum est restitui, & resarciri
 debeat et propter hoc ipsi Dñi Henricus, & Goffridus de Morra
 confessus est se recepisse ab eodem dño Ioanne Leonelgit. idest pre-
 ciũ equi unius, et sicut beneplacens rei concessæ, donatæ, & tra-
 ditæ, unde per conuenientiam ipsi Dominus Henricus, & Dñs
 Goffridus guadiam ipsi domino Ioanni dederunt, et fideiussores
 ei posuerunt semetipsos, et dominum Bartolomeum filium quon-
 dam domini Joannis de Liccia, et iudicem Manensium filium
 quondam domini Massilionis de Priniano &
 ipsi Dominus Henricus, & Dñs Goffridus obligauerunt se, et
 suos heredes defendere eidem domino Ioanni, & suis heredibus
 integram ipsam concessionem, donationem & traditionem, qua-
 liter superlegitur ab omnibus ominibus, et personis, & tribuere
 ei licentiam ut quando ipse dominus Ioannes, & eius heredes
 voluerint concessionem, et donationem, & tradi-
 tionẽ per se defendere qualiter voluerint et si sicut superius scriptũ
 est, ipse Dominus Henricus, et Dominus Goffridus, vel eius hæ-
 redes non adimpleuerint, & subscripta, vel ex eis quicquam re-
 mouere aut contradicere presumpserint, per ipsam guadiam obli-
 gauerunt se, & suos heredes componere ipsi domino Ioanni, &
 suis heredibus quicquid ducerint, supra scriptis omnibus ut dictũ
 est in suo robore duraturis pro quibus omnibus ad perennitatis
 memoriam, et utriusq; partis cautelam presens scriptum publi-
 cum ex inde est confectum per manus mei predicti Ioannis Nota-
 rij, qui predictis omnibus interfui, & meo consueto signo signaui.

Extracta est presens copia e quodam predictæ concessionis tran-
 sumpto in pergameno existente penes D. Basilium Prignanum
 nobilem Salernitanum, in quo aliq; partes temporis iniuria cor-
 rosæ non leguntur in locis vacuis supra relictis.

Rescriptum pro restitutione Casalís Sancti Bartolomei de pertinentijs Terræ Morra. In registro Regis Roberto signato 1310. & 1311. lit. A fol. 114. at.



*C*riptum est Iustituario Principatus ultra Serras Montorij deuoto suo &c. Conquestus est nouiter coram nobis Dominus Rogerius de Morra Regius fidelis, nosterque deuotus, quod Domino Rogerio de Morra suo Auo paterno præmortuo, nullis alijs liberis derelictis, cuique Domino Rogerio Auo suo, ipse nunc exponens tanquam hæres legitimus successit, tenente, ac possidente per se, & alios eius nomine tenentes, ac possidentes Casale Sancti Bartholomei, quod est ut dixit de feudo, seu pertinentijs Castri sui Morra, quod immediatè, et in capite tenet à Regia Curia simul cum molendino vno in vallone candeti; & alijs bonis, iuribus & pertinentijs eius, quod Dominus Ioannes Galardus per se, seu alios suo nomine prædictumque Dominum Rogerium possessione Casalís ipsius cum iuribus & pertinentijs suis omnibus auctoritate propria cum ipsis iuribus, & pertinentijs eius per violentiam spoliavit, & demum ad Dñam Philippam de Bellamonte, seu Comitem Dammartini Virum eius, causam in hoc ut dicitur ab ipso detemptore habentes licet per deambulationes, seu media varia prædicti Casalís possessio sic violenta peruenit qui illud nunc ex ipsa causa tenent, & possident dictoq; hæredi restituere contradicunt in eius graue dispendium, et iacturam. Super quo prouisionis nostræ remedium suppliciter implorauit. Cum igitur spoliatis iniuste sit celeris restitutionis beneficio succurrendum, deuotioni vestre vicariatus auctoritate, qua fungimur expresse iubemus, ut vocatis, qui fuerint euocandi si summarie de plano sine libelli oblatione contestatione litis, strepitu, & figura iudicij vobis constiterit de præmissis, statim ad restitutionem possessionis prædicti Casalís iurium, & pertinentiarum eius cum fructibus inde medio tempore perceptis præfato exponenti prout iustum extiterit faciendum procedatis, iuxta formam Capituli Regij editi super restitutionibus violentis, ita quod ulterius ad nos recurrere non cogatur.

cogatur. Si vero predictus Comes, aut uxor. credit in Casali, aut bonis eisdem aliquod ius habere illud si voluerint, ordine iudiciario prosequantur. Datum Neap. per N. F. de R. 1308. Anno Domini millesimo trecentesimo decimo die xx. Septembris nonæ Indictionis.

In Registro Regis Caroli Secundi signato 1308.
litera A. fol. 27.



Arolus Secundus Dei gratia Rex Hierusalem, et Sicilia, Ducatus Apulia, et Principatus Capuae Prouinciae, et Folcalquerij, ac Pedemontis Comes Magistro Iustitiaro Regni Sicilia, vel eius Vicemgerenti, et Iudicibus Magnae Curiae

Consiliarijs familiaribus, et fidelibus suis gratiam suam, et bonam voluntatem, exposuit nobis nuper Rogerius de Morra Miles fidelis noster, quod nobilis Mulier Philippa de Bellomonte Comitissa Dammartini, seu Vir Nobilis Raynaldus, Comes Dammartini Vir eius pro ea iniuste tenet occupatum Casale S. Bartolomei de Morra cum hominibus, iuribus, et pertinentijs suis, situm in Iustit. Principatus ultra Seraras Montorij, quod quidem Casale fuit, et est de pertinentijs Terrae suae Morrae, quam una cum Castro Casellae Sito in eodem Iustit. idem exponens sub debito feudali seruitio, immediate, et in capite à Curia nostra tenere se dicit quod quidem

feudum, seu quotam feudi partem esse asserit in ipsius exponentis prauiditium, diminutionem seruitij memorati. Super quo nostra per eum prouisione suppliciter impetrata fidelitate vestrae praecipimus, quatenus vocatis, qui fuerint euocandi, faciatis memorato Rogerio super praemissis sublati, morosis, anfractibus, et dilationibus fraudis, celeris, et expedite iustitiae complementum quod ex inde decreueris executioni debitae prout iustum fuerit demandari, illo, vel illis ex vobis iudicibus, ac prosecutionis, et decisionis quod vnus, vel plures vestrum inceperint, aliorum absentia non obstant. Datum Neapolis per Bartholomeum de Capua Mili-

Dd te

tem Logothetam, et Prothonotarium Regni Siciliae, Anno Dñi Millesimo, trecentesimo octavo, die decimotertio Septembris Regnorum nostrorum Anno Vigesimo quarto.

Memoria Enrici in ordine Tertij Domini Castri Trechinæ. In Reg. Caroli III. anni 1322. lit. A. fol. 36. a t.



Arolus, etc. Iustituario Basilicæ presenti, et futuris fidelibus paternis, ac suis salutem, etc. Queritur uniuersitas hominum Castri Trechinæ iurisdictionis vestre Regionum nostrorum fidelium quod homines ipsi pro sua rata domorum perferunt onus fiscalium functionum, grauatatur tamen interdum lesa iustitia per Enricum de Morra eorum dominum per ipsas sibi subueniri volentem in casibus non permisis, tanquam eos ad id quod minime licuit molesta impulsione cogit, sicque præfati homines verentes de ratione præsentis, ne simile perferant in futuro, petierunt suppliciter, ut prouidere ipsis ex inde de oportuno iustoque remedio, nostra serenitas dignaretur, qua supplicatione iuste, ut pote clementer audita, expresse volumus, tum vos ipse præfens Iustitiarie, quam successiuè posteri antefatos homines in hijs indebitè molestari, vel impeti contra formam, et seriem capitulorum Regni per dictum eorum Dominum, vel alium, aut alios pro parte sua minime permittatis. Præsentibus post oportunam inspectionem earum remanentibus præsentanti efficaciter in antea dum opus fuerit valituris. Datum Neap. per Ioannem Grillum, etc. Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo tertio, die vigesimo Februarij sexte Iudictionis Regnorum dicti Domini patris nostri anno xiiij.

Epi-

Epistola Federici consolatoria de morte Angeli de Morra in
lib. Epistolarum Petri de Vineis a secretis eiusdem Fe-
derici lib. 4. cap. 12. fol. 559.




*V*od filium tuum Angelum de Morra, fidelem nostrum, ad seruitium Camerae nostrae vocauimus, approbata fides eius, & industria circumspecta, quam habuit in seruitijs nostris, beneuolentiam nostram attentius induxerunt. Quod autem ad praesentiam nostram nuper ueniens, infirmitate praeventus, à Domino sicut ei placuit, sit vocatus, carere seruitio & persona sua dolemus, tibi nihilominus condolentes qui bonum de ipso filium amisisti. Sed cum diuinae uoluntati resistere nemo possit, & reuocari nequeat quod uocauit, & si super obitu eiusdem filij tui prohibere tibi lachrimas non possimus, ut pote qui mutato ordine ad fata peruēit, à quo sperabas (si rectus ordo procederet) sepeliri: moderationem tamen tuis iustis motib. de fauorabili gratia imponere suademus, ad te, domum tuam, & filios fauorem ad eum habitum conuertentes: ut modestia in doloris uehementia obseruata, possis in nostra gratia confidentius respirare, maximè quod ad seruitia nostra uocatus, finem in Curia nostra laudabilem consummauit.

Extracta est praesens copia à supradicto originali Registro quod conseruatur in Archiuo Magnae Regiae Curiae Siculae Neapolis, cum quo facta collatio concordat meliori tamen semper salua, Et in fidem infrascriptus Magnificus Detius Conterius V. J. D. Regius Archiuarius, hic se subscripsit, & Sigillum consuetum apposuit Neap. Die 14. Augusti 1618.

Detius Conterius.

680,074



136.

1729. w £ 25.-

